PA
2140
.C3

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

DE POSITIONE NOMINUM LATINORUM

LOCI EXPOSITI ET EXAMINATI.

PERMITTENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

P. P.

CHR. CAVALLIN,
MAG. DOC.

IN AUDITORIO I.

DIE SEPTEMBR. XVI. MDCCCLXIII.

H. A. M. IX.

LUNDÆ
TYPIS OHLSSONIANIS
MDCCCLXIII.

PA2140
.C3

Quod in omni fere arte fieri solet, ut summa quæque et remotissima prima petantur, mox autem, rerum difficultatibus quasi munitione aliqua repulsi, homines ea, quæ propriora et tanquam ante pedes posita sint, investigare incipiant ac quid omnino scire non nefas sit animadvertere, idem in his studiis, quæ in linguarum cognitione versantur, usu venisse invenimus. Ac forsitan dixerit quispiam, id in hac quidem arte ea etiam de causa factum esse, ut, quæ omnium difficillimae essent quæstiones, eas ad disputandum primas sumerent, quia sermone nihil videretur magis vulgare et in quotidiana quadam cognitione positum, ut hæc studia ita tantummodo doctorum hominum ingeniis commendari possent, si non occuparentur in singulis quibusdam et minutis rebus, sed ad universæ naturæ humanæ cognitionem referrentur. Verum ego illud potius animadvertendum censeo et intelligendum, hæc quæ nobis levia quædam ac facilia videantur, quum verborum non solum genera diversa sed etiam ordines et quosdam cognationis gradus, in eadem vero parte orationis verbum ipsum a formis quibusdam vel terminationibus distinguamus, hæc ipsa, inquam, discrimina non potuisse animadverti et notari, nisi ab iis, qui de universi sermonis natura ac condicione cogitarent. Ac quoniam in grammatica antiquorum non solum vocabulis sed etiam rerum fere descriptione et ordine utimur, semper si quid veniet in dubitationem, illorum vestigia repetere et quomodo quidque ortum sit, quærere expediet.

I.

Quum igitur Græci ad hanc artem studia conferre inciperent, de nulla re prius disceptatum est, quam de origine nominum sive quî factum esset, ut suâ quæque res voce notaretur. Quo in genere alii nomina veras quasdam sive naturales rerum imagines esse statuerunt[1]), alii autem arbitrio hominum ac consensu ad res significandas adhiberi[2]), alii denique ad Deos quosdam, sermonis inventores, confugerunt[3]). Horum contro versiam dijudicat Plato in dialogo, qui inscribitur Cratylus, in quo Cratylus et Hermogenes, alter Heracliti auditor, alter Democriti[4]), de veritate nominum (*περὶ ὀρθότητος ὀνομάτων*) cum Socrate disserentes inducuntur. Quo in dialogo satis apparet, Platonem — id quod non uno loco ipse significat[5]) — omnia fere, quæ de origine singulorum verborum disserat aut ab etymologo quodam sumere aut ad istius artis similitudinem cum joco et simulatione ipsum fingere: eundem vero in aliena materia ita versari, ut rationes,

---

[1]) *Φύσει πεφυκότα.* Plato Cratyl. Edd. Herrmann p. 383. Deuschle, Die Platonische Sprach-philosophie p. 55—56.

[2]) *κατὰ ξυνθήκην καὶ ὁμολογίαν — νόμῳ καὶ ἔθει τῶν καλούντων,* Plato l. c. 384. D.

[3]) Fuisse, qui hanc sententiam amplecterentur, cernitur ex Cratylo Platonis 425 D. E. Cfr. 397 C. Etiam ipse Cratylus hoc petit suffugium 438 C.

[4]) Sed tamen inter sententiam Heracliti et Cratyli hoc interfuisse, quod ille a cæca quadam naturæ necessitate, hic a ratione hominis, naturam imitanti, nomina profecta esse statueret, et Democritum non tam hominum arbitrio, quam fortunæ temeritati (*τῇ τύχῃ*) nominum impositionem tribuisse, docent Deuschle l. c. et Claëson, Om Språkets ursprung och väsende. Nordisk Univ. Tidskr. 1858. 4 h. p. 40, 41.

[5]) Cratylus 396 D. 399. *Σω. ἦ τοῦ Εὐθύφρονος ἐπιπνοίᾳ πιστεύεις, ὡς ἔοικας; ΕΡΜ. Ἦλα δή.* Cfr. 400. 407 D. *περὶ δὲ ἄλλων ὧν τινων βούλει πρόβαλλέ μοι ὅφρα ἴδηαι οἷοι Εὐθύφρονος ἵπποι.* Cfr. 409 D.

quibus nitantur isti conatus etymologorum vel latentes eruat, vel confusas excutiat, vel denique modum transgressas coerceat. Itaque ut singula jocose dicantur, non solum conclusio totius libri, sed etiam universa tractatio serio suscipitur.

Plato igitur hoc primum docet ab hominibus certe nomina posita i. e. inventa esse, quibus res inter se significarent ac distinguerent[6]), deinde esse hanc rem a singulorum arbitrio prorsus sejunctam, ut si quis recte loqui vel potius omnino loqui velit, non quavis voce rem signare liceat, sed ea, qua ipsius rei natura exprimatur[7]).

---

[6]) l. c. 388 B. C. *Ἆρ᾽ οὖν διδάσκομέν τι ἀλλήλους καὶ πράγματα διακρίνομεν ᾗ ἔχει; Ὄνομα ἄρα διδασκαλικόν τί ἐστι ὄργανον καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας.* Hæc verba *Lerschius*, Die sprachphil. d. Alten III. p. 32 non admodum diligenter sic reddidit: "aus denen wir das Wesen der Dinge kennen lernen". Plato enim hoc loco non simulatione quadam Cratyli sententiam sequitur "ex nomine, qualis quæque res (per se) sit, cognosci" (435) sed tantum significat, orationem, ut nostri ajunt, ad communicandum natam esse. Cfr. 428 E.

[7]) *Οὐκοῦν καί ὀνομαστέον ᾗ πέφυκε τὰ πράγματα ὀνομάζειν τὲ καὶ ὀνομάζεσθαι καὶ ᾧ, ἄλλ᾽ οὐχ ᾗ ἂν ὑμεῖς βουληθῶμεν, καὶ οὕτω μὲν ὀνομάζομεν, ἄλλως δὲ οὔ.* 387 D. Plato quum dicit *ὀνοματουργόν* quendam sive *νομοθέτην* nobis nomina posuisse (*θέσθαι*) et tradidisse (388 D. E.) idem sentit, ac quum alio loco (425) priscos (*τοὺς παλαίους*) dicit vocabula composuisse. Nimirum ab iis, qui primi nomina imposurunt, nobis i. e. posteris ætatibus sermo tanquam lex quædam loquendi tradita est. Cfr. *Madvig*, Om Sprogets Væsen et cet. p. 17. Ligeoverfor den oprindelige Frihed træder nu det frembragte Sprogs Sammenhæng og dets inderlige Sammenvoxen med dem der lære og udvikle det saa imponerende at den — fjerner fra Sprogets Uddannelse og Tilvarelse alt Skin af Atomistisk Vilkaarlighed. *Humboldt, W.*, ges. Werke VI. 43. wir befinden uns mit unserem Sprachstudium durchaus in eine geschichtliche Mitte versetzt.

Itaque quæ res communitate generis vel naturali similitudine teneantur, eas simili nomine appellandas esse et fuisse[8]), non utique iisdem litteris syllabisve, sed quæ idem significent[9]). Hinc profectus (usque a 397 ad 421 E) multis exemplis ostendit *nomina* (*ὀνόματα*), quibus Dii et universa rerum genera appellentur, non temere (*ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου* 397 A.) imposita esse, sed deducta fuisse ex attributis quibusdam (*ῥήματα*)[10]), i. e. actionum aut qualitatum notis, quæ cujusque Dei aut rei propria essent.

De quibus dubitari non potest, quin ratio ipsa Platoni probetur, si modo temeritatem fugiat, singulæ vero notationes ad ludum et similitudinem Sophistarum comparatæ sint. Ut quod dicit *τοὺς θεοὺς ἀπὸ τοῦ θεῖν* dictos fuisse, quod antiquissimi Græci solem, lunam, sidera, coelum (quæ moverentur) pro Diis habuerint, sine dubio jocus est: serio autem hoc significat, qui primi Deos ita nominarent, hac voce aliquam Deorum proprietatem descripsisse, quamquam id vetustate obscuratum sit, postquam universa vis divinæ naturæ hac appellatione comprehendi coepta esset. Sed ne usquam a simulatione sua discedere videatur, dubitat[1]), utrum hanc sermonis obscuritatem, quod non amplius

---

[8]) *τὸ τοῦ γένους ὄνομα ἀποδοτέον* 394 E ff.

[9]) Hoc dicit 390 A. *τὸ τοῦ ὀνόματος εἶδος ἀποδιδόναι τὸ προσῆκον ἑκάστῳ ἐν ὁποιαιοῦν συλλαβαῖς.* 394 C docet *Ἕκτωρ* et *Ἀρχέπολις* eandem rem recte significare, literis dissimilibus, *καὶ ἕτερα ἂν ἴσως συχνὰ εὕροιμεν, ταῖς μὲν συλλαβαῖς καὶ τοῖς γράμμασιν διαφωνοῦντα τῇ δε δυνάμει ταὐτὸν φθεγγόμενα* Cfr. 394 A.

[10]) 399. *Διὶ φίλος ἵνα ἀντὶ ῥήματος* (i. e. ex attributo) *ὄνομα* (proprium hominis nomen) *γένηται, τό τε ἕτερον αὐτόθεν ἰῶτα ἐξείλομεν καὶ ἀντὶ ὀξείας τῆς μέσης συλλαβῆς βαρεῖαν ἐφθεγξάμεθα.* ibd. *ἄνθρωπος ἐκ ῥήματος* (*ἀναθρῶν ἃ ὄπωπεν*) *ὄνομα γέγονεν* Cfr. 421. E. 430.

[1]) 421 D. 409 D. E.

omne nomen quasi pellucidum sit, vetustati an barbaris quibusdam, primis nominum impositoribus, attribui oporteat.

Sed quum pervenit ad illum locum, quem supra indicavimus, detegit, quo artificio usus se ad rationem Cratyli accommodaret. Scilicet si maxime veræ sint istæ notationes, tamen iis non effici id, quod velit Cratylus, ut nominibus quasi naturalibus quibusdam imaginibus res exprimantur. Non enim has voces, si quidem ab aliis verbis ducta sint, per se id efficere, ut quales res sint significent, sed quod vox jam significabilis ad hæc fingenda adhibeatur, eo rei proprietatem audientibus exprimere. Ergo horum nominum veritatem non in ipsis positam esse, sed in iis, ex quibus ducta sint. Ut si constet, *τὸ ἀγαθὸν ἐκ τοῦ ἀγαεοῦ καὶ τοῦ θοοῦ* formatum esse, de veritate hujus nominis novam exsistere quæstionem [2]). Itaque redeundum esse ad prima quædam nomina et quærendum, quomodo hæc per se ipsa — quoniam ab aliis ducta non sint — naturam cujusque rei audientium auribus mentibusque quasi proponant (*εἰς τὴν τῆς ἀκοῆς αἴσθησιν καταστῆσα*) [3]). Si igitur, quod voces ipsæ sive soni per se rebus similes sint, eo fiat significatio, ex nominibus rusus redeundum esse ad singula vocis elementa (*στοιχεῖα*) et constituendum, quæ sint horum discrimina quidque eorum, quæ sint in naturis rerum, quoque elemento quasi naturali imagine exprimatur [4]): tum suum cuique naturæ elementum reddendum esse, sive singulis opus sit sive

---

[2]) l. c. 422 A.

[3]) *τῶν ὀνομάτων ἡ ὀρθότης τοιαύτη τις ἐβούλετο εἶναι οἵα δηλοῖν οἷον ἕκαστὸν ἐστι τῶν ὄντων. Ἀλλὰ τὰ μὲν ὕστερα ὡς ἔοικε διὰ τῶν προτέρων οἷά τε ἦν τοῦιο ἀπεργάζεσθαι. τὰ δὲ δὴ πρῶτα οἷς οὔπω ἕτερα ὑπόκειται, τινί τρόπω* et. cet.; 422 D. E. Cfr. 433 D.

[4]) 424 C. ff. Cfr. 434 B. *Οὐκοῦν ὀνὸματα οὐκ ἄν ποτε ὅμοια γένοιτο οὐδενί, εἰ μὴ ὑπάρξει ἐκεῖνα πρῶτον ὁμοιότητά τινα ἐκείνοις ὧν ἐστι τὰ ὀνόματα μιμήματα.*

pluribus et conjunctis, ut ex elementis syllabæ fiant, ex syllabis nomina et verba, ex utrisque orationem. Hinc Socrates de significatione elementorum doctrinam exponit, quam dicit sibi duram et absurdam videri, sed tamen necessariam, si quis de vera primorum nominum origine se aliquid scire profiteatur[5]). Docet igitur litera *r* motum exprimi, litera *l* levitatem, litera *a* granditatem et multa ejusdem generis. Qua doctrina quum et Cratylus et Hermogenes valde delectentur, tamen Socrates ipse suæ diffidens sapientiæ a Cratylo postulat, ut concedat, nonnulla verba aut ut ab imperito artifice male ficta esse, aut corrupta, quum aut non habeant eas literas, quæ rei conveniant, aut eas, quæ sint rei contrariæ, habeant, et tamen non minus verba esse, quam ea, quæ bene et perite ficta sint. Hoc postquam non sine dubitatione Cratylus concessit[6]), quærit, quum litera r duritiam exprimat, l autem mollitiam, et tamen in ipso eo nomine, quod duritiam significet (*σκληρότης*), mollis illa littera sit, qui fiat, ut, quum quis dicat *σκληρόν*, nihilo minus ex contraria litera, quid significetur, intelligat. Quod quum ille consuetudine fieri dixit, Socrates eum cogit fateri, hanc quam dicat consuetudinem nihil aliud esse, quam illum, quem rejiciat, consensum,

---

[5]) 426 A. sqq. "Meram enim tergiversationem esse, si quis ideo primorum nominum rationem reddi posse neget quod a Diis vel a barbaris profecta sint". Jam vero quanti hanc de significatione elementorum doctrinam, quæ Deuschlio l. c. p. 67., fortasse non sine causa valde placet, Plato ipse æstimaverit, ex eo intelligas, quod nihilominus 426 C., cur verbi *κίειν* rationem reddere non possit, hoc affert: *ξενικὸν δὲ τοὔνομα.*

[6]) 432 E. *Σω. Μὴ ἀνάγκαζε τὸ ὄνομα πάντ' ἔχειν τὰ γράμματα ἀλλ' ἔα καὶ τὸ μὴ προσῆκον γράμμα ἐπιφέρειν, εἰ δέ γράμμα καὶ τὸ ὄνομα ἐν λόγῳ. — K. P.* 433 B. *Ἀλλά μοι δοκεῖς γε μετρίως λέγειν καὶ οὕτως τίθεμαι.*

quod mutua quadam loquentis et audientis intelligentia fiat, ut emissæ voci eandem uterque sententiam subjiciant, sive soni rei similes sint, sive dissimiles[7]).

Jam vero quid est illud, quod hac argumentatione Platonis ad sermonis intelligentiam, non qualis est apud philosophos, sed apud grammaticos, effectum dicimus ac collatum, ne quis forte miretur, nos in quæstione grammatica ex disputatione philosophi ducere ingressionem? Nempe quum ii, qui in linguæ cognitione versabantur, vagarentur incerti et omnis rationis ignari cum rebus orationem vel voces conferrent, primus Plato, non dico, observavit, sed in arte docuit, orationis non esse eadem elementa, quæ essent vocis, nec quasvis voces per se ipsas, sed quæ voces in certa significatione *positæ* essent, eas demum sermonem vel partes sermonis esse[8]). Itaque etsi illi, qui principes nominandi fuerint, etiam vocis quadam imitatione quales cuique res viderentur, inter se significaverint, hos sermones, quibus jam utantur populi, gentes quasdam esse

---

[7]) 434 C—E. *Ἔθος δὲ λέγων οἷέι τι διάφορον λέγειν ξυνθήκης; ἢ ἄλλο συ λέγεις τὸ ἔθος ἢ ὅτι ἐγώ, ὅταν τοῦτο φθέγγωμαι, διανοοῦμαι ἐκεῖνο, σὺ δὲ γιγνώσκεις ὅτι ἐκεῖνο διανοοῦμαι; — οὐκοῦν εἰ γιγνώσκεις ἐμοῦ φθεγγομένου δήλωμά σοι γίγνεται παρ' ἐμοῦ — ἀπὸ τοῦ ἀνομοίου γε ἢ ὃ διανοούμενος φθέγγομαι, εἴπερ τό λάβδα ἀνόμοιόν ἐστι τῇ ῇ φῇς σὺ σκληρότητι.*

[8]) Deuschlio (pag. 67) Platonem vituperanti, quod in illis, quæ de elementorum significatione disserit, "unitatis verbi" nulla ratio habeatur, recte respondeas, id ipsum vidisse Platonem, si singula elementa significent, unitatem verbi non posse servari. Atque Deuschlius ipse concedit similitudinem, quæ voci cum re intercedat, in singulis literis tantum reddi posse, sed, cur etiam dissimiles adhibeantur, causam in "libertate mentis" ponit, quæ naturæ necessitate non teneatur sed cui ad sensa exprimenda sufficiat id, quod ipsa suis legibus convenienter creaverit. ("was er immer als Symbol

vocum, non sua natura, sed usu et consensu quodam significabilium. Hæc est notio ejus, quam Græci grammatici *λέξιν*, Latini vero appellaverunt vel verbum vel dictionem, quamque ita definierunt, verbum esse orationis partem minimam, quæ quidem aliquid cogitatum significaret[9]). Hanc notionem inventam sequebantur discrimina verborum, cujus rei Plato ipse fundamentum jecerat, quum *nomina* (i. e. *κύρια καὶ προσηγορικά*) a prædicatis distingueret. (*ῥήματα*).

Sed idem Plato, quum priora quædam verba distingueret a posterioribus, hoc docuit, non adeo infinitam esse vocum significabilium silvam, quam eorum, quæ significarentur, multitudinem, sed sermonem, quas voces tanquam suæ dicionis fecisset et posuisset ad significandum, his pro materia uti, ex qua vario commutationis genere nova verba aut figuras procuderet verborum et ad diversas orationis partes deduceret. Quæ commutatio quum diversis vocabulis a Platone appelletur *παραλλίνειν* 400 C. *παράγειν* 398 D. 419 D.[10]), neque his vocabulis easdem significa-

---

seines Gedankens selber in organischer Thätigkeit geschaffen hat") Equidem non video, quid hæc differant ab illis, quæ p. 433, 5. a Platone dicuntur: etiamsi litteræ desint aut supersint, tamen nomen verum esse, *ἕως ἂν ὁ τύπος ἐνῇ τοῦ πράγματος περὶ οὗ ἂν ὁ λόγος ᾖ.*

[9]) Arist. de poet. cap. XX. *Συλλαβὴ — φωνὴ ἄσημος — ὄνομα* (*ῥῆμα*) *φωνὴ σημαντικὴ* (in libro de interpr. addit *κατὰ ξυνθήκην*), *ἧς μέρος οὐδὲν ἐστι κατ' αὐτὸ σημαντικόν* Bekker, Anecd. 837. *λέξις ἔστι μέρος ἐλάχιστον τοῦ κατὰ ξύνταξιν λόγου, νοητὸν τι σημαῖνον. ἴδιον γὰρ λέξεως σημαντικὸν ἔχειν* (*συλλαβῆς δ' οὔ*), Cfr. l. c. 881. 633. Varro X 77. Verbum dico vocalis orationis partem, quæ sit indivisa et minima, (si habet declinatus naturales). Charisius, p. 16, 17. Edd. Keil. Cfr. Harris, Hermes p. 21: Plato shewed them. (Grammaticis) this characteristic of a *Word.*

[10]) Aliæ appellationes sunt: *ὀνομάζειν παρά τι* 399 A. *ἐπονομάζειν ἀπὸ τινος* 419. *ἀπεικάζεσθαί τινι* 421 B.

tiones, quas discretas habent apud Grammaticos, tribuere licet, neque est quod cum Deuschlio statuamus, Platonem, quum dicit *πρότερα καὶ ὕστερα* vel *ἐξ ἄλλων ξυγκεμένα ὀνόματα*, simplicia tantum ac composita distinguere. Nam revera Plato nonnullis locis ita loquitur, quasi posterius omne vocabulum ex pluribus eorum, quæ sint elementa, consistere velit. (422). Sed tamen magnam partem eorum, quorum dicit origines, non compositione sed tantummodo literarum aut mutatione aut accessione aut denique decessione ortam fingit. Cujus rei exempla hæc sunt: *σῶμα* aut *σῆμα* aut *ἀπό τοῦ σώζειν*, *Ἥρα ἀήρ* aut *ἐρατή*, *δαίμονες δαήμονες*, *ἥρωες ἀπὸ τοῦ ἔρωτος*, (*σμικρὸν παρηγμένον*) aut *ἀπὸ τοῦ ἐρωτᾷν*, *Ῥέα ἀπὸ τοῦ ῥεῖν*, *Μοῦσαι ἀπὸ τοῦ μῶσθαι*, *Ἀπόλλων ἀπολούων*, *Ἄρης κατὰ τὸ ἄρρεν*, *θυμὸς ἀπὸ θύσεως*, *ὧραι* (*ὅραι*) *αἱ ὁρίζουσαι* et sim.[1]) Jam vero quis dubitet, quin et universa vis derivationis, et varii illi modi qui a Platone commemorantur, ab etymologis aliquo modo cogniti fuerint et ad aperiendas verborum origines adhibiti. Sed quum illi sine ratione aut ordine ab omnibus omnia deducerent ita, ut res in orbem infinitum circumageretur, Plato notione primigeniorum constituenda grammaticæ dedit, unde et incipere posset et ordine progredi impulitque hominum sollertiam, ut observarent, quibus, modis omnino verba ex prima positione declinarentur et quæ quemque modum declinandi sequeretur significationis

---

[1]) Etiam minus *Steinthalio* (Geschichte der Sprachwissenschaft der Griechen und Römer, p. 98) assensus sim conjicienti, Platonem maxime hoc artificium etymologis commendasse, ut cujus verbi originem dicere vellent, id in duo aut plura elementa quasi diffinderent. Nam constat, ut vere composita vocabula etiam "populus": ut ait Varro V. 3. i. e. imperitissimus quisque a simplicibus discernit, sic in etymologia, ut maxime aut temeraria aut rudis sit aut utrumque, ita hoc genus originationis maxime vigere.

commutatio. Qui modi quum a posterioribus suum quisque vocabulum acciperent ex iis, quæ fuerant communia, tamen ut re vera, non vi sua, sed *θέσει* quadam diversa sunt, sic non est mirandum, si manserunt pristinæ communitatis vestigia. Positio autem sive impositio sive *θέσις* in omnibus artibus antiquorum eandem vim habet, quam apud Platonem *θέσις τοῦ ὀνόματος*. Nam positio et omnino dicitur vocis ad rem significandam applicatio et *prima* positio vel *ipsa* positio vel simpliciter positio[2]) omnibus, quæ derivando ac flectendo ficta sunt, opponitur, ita ut, quæ apud recentiores appellentur *radix*, *thema declinationis*, *primitivum verbum*, hoc uno vocabulo a veteribus comprehendi saltem videantur. Fuit igitur hæc notio vere princeps et ex cujus observatione tanquam ex fonte flueret omnis grammaticorum disciplina.

Quo igitur videamus, quale opus in his exædificaverint fundamentis, non placet, quid singuli docuerint, colligere, sed quum unum aliquem sumserimus, cujus universam doctrinam aliquo modo adumbremus, ex ceteris adjungere, si quid habeant, quo illa vel expleri possit vel illustrari. Hac enim ratione et ad universæ veteris gram-

---

[2]) Bekker. anecd. 848. *πρωτότυπόν ἐστι ὃ τὴν πρώτην θέσιν ἐπαγγέλλεται.* Apollonius de adverbio ibd. 552: *Οἱ κανόνες (τῆς κλίσεως) ἀρχὴν ἔχουσιν τὴν θέσιν τῆς λέξεως.* Charis. 154 nominativus est positio nominis vel recta nominatio. Diom. 385: sum verbum ipsa positione (i. e. 1:ma pers. præs.) corruptum est. 386. (de verbo, quod est volo.) Prisc. II. 150 "positio id est nominatio". Apud Diomedem 326 Edd. Keil. Donatum Edd. Putsch. 1747. 1751. positio vel posita nomina opponuntur possessivis et deminutivis. Probus 56, 35 (Gramm. Lat. IV. 1) "positivus" (quæ vox etiam apud nos servat veteris usus vestigium) "est ipsa positio. id. 73: ordines nominum sunt tres, positio, derivatio, deminutio. Prisc. I. 427 "verba positiva" i. e. primitiva. Prisc. I. 549 Cfr. Quintil. I. 5, 69 65. 61. 6, 10.

maticæ cognitionem aliquid videmur collaturi et hoc assequemur, ut non tantum multorum quasi disjecta membra, sed unius etiam corpus proponatur.

Sed ad hanc rem omnium aptissimi sunt Varronis de Lingua Latina libri, quibus nihil plenius, si rerum fontes ac capita videris, ad hanc ætatem permansit eorum, quæ antiqui de universo genere sermonis scripserunt, quamquam singularum rerum multo uberior copia est apud eos, qui proprie Grammatici appellantur. Neque id mirum est, quum interierit illa pars Varroniani operis, quæ cum grammaticorum artibus conferri posset. Nam quum Varro de impositione verborum bis ternos libros scripsisset et de declinatione totidem, ita æqualiter distributos, ut terni, qui utriusque ordinis priores essent, universorum generum disciplinas constituerent, alteri autem singulorum verborum aut declinandi formularum copiam et demonstrationem haberent[3]), illius ordinis priores libri, hujus vero posteriores ad nos permanserunt. Itaque interiit et illa de commutatione literarum doctrina, quo quasi solo aut fundamento niteretur singulorum verborum originatio[4]), et ea,

---

[3]) l. c. V. I. (De impositione) sex libris exponere institui. De his tris ante hunc feci, in quibus est de disciplina quam vocant ἐτυμολογικήν — Quæ contra eam dicerentur volumine primo, quæ pro ea, secundo; quæ de ea, tertio. In his ad te (i. e. ad M. Ciceronem) scribam, a quibus rebus vocabula imposita sint in lingua Latina et ea, quæ sunt in consuetudine apud poetas. VII. 109. priores de disciplina verborum originis, posteriores de verborum originibus. VIII. 24. De declinationibus libros faciam bis ternos, prioris tris de earum declinationum disciplina: posterioris ex ejus disciplinæ propaginibus. — De prioribus primus erit hic: quæ contra similitudinem declinationum dicantur: secundus, quæ contra dissimilitudinem: tertius de similitudinum forma.

[4]) V. 6. Viam commonstraverant Græci vid. VI. 2. VII. 1.

quæ de formulis declinandi, non summatim, sed generatim et singillatim disputata erant, quum quæreret, quo sive in quæ declinaretur in lingua latina[5]). Ex quibus prior illa si restaret, certe quidem non credo fore, ut multa ex his, quæ Varro de singulorum verborum originibus in libris quinto, sexto, septimo docet, viderentur probabiliora: sed tamen multa haberet, quæ horum temporum subtilitati viam commonstrare possent et exemplorum copiam subministrare. Nam ne quis credat Varroniani libri jacturam doctrina Prisciani aut ceterorum grammaticorum compensari, consideret, hos ex iis, qui nobis quoque aliquo modo pateant, literarum fontibus haurire, Varronem autem ex vulgari loquendi consuetudine omnia petivisse. Sed ut in hoc ordine librorum forsitan accusanda sit fortunæ iniquitas, quæ nobis eripuerit graviorem partem, minus gravem et copiosam[6]) reliquerit, eidem fortunæ gratiam haberi oportet, quæ illorum librorum, qui scripti erant de declinatione, deleverit eam partem, quam posteriores grammatici fortasse etiam magis perfecerunt, hanc reliquerit, quam illi vix aut leviter tantum attigerunt. Etenim hi tres libri, quum in illa de analogia et anomalia contentione exponenda versentur, universæ rationis grammaticæ, qualis fuit apud antiquos, formam et quasi faciem proponunt. Quanquam video hujus ætatis doctos homines de servata parte Varronis aliter judicare. Nam illis de impositione sive de etymologia libris multum utuntur, non solum quod in iis plurima est populi Romani antiquitatis effigies, sed etiam vel ad exagitandam veterum ety-

---

[5]) VIII. 2. 20. X. 33.

[6]) Quanquam injuste judicat, cui illud ipsum videatur deplorandum, quod hi tres libri servati sunt, (Lersch. l. c. III. 125). Plus enim habent, quam vastam turbam inscitæ etymologiæ ("eine Unzahl schlechter Ableitungen").

mologorum imprudentiam [7]) vel ad probandum, si quid ipsis de originibus verborum conjicere opus fuit aut placuit [8]). At qui horum de analogia librorum sententias sunt exponere conati, mihi quidem neque in hoc opere diligenter aut prudenter satis versati esse neque quanti hi libri æstimandi essent, perspexisse videntur. Ut is, qui nuper de vita et scriptis Terentii Varronis disputavit, Boissierius, quum ea, quæ Varro de populi, oratorum, poetarum in sermonem potestate disseruit, ut vere — id quod minime negaverim — et prudenter disputata collaudet, idem deplorat cæcitatem antiquorum, qui non in hisce observationibus callidisimis constiterint [9]), sed maluerint talibus quæstionibus implicari, quaqis sit illa de analogia verborum, quæ quomodo potuerit tanta doctorum hominum studia totque contentiones excitare, negat se posse intelligere [10]). Itaque negat famæ Varronis apud posteros bene consultum esse, quod ex illis

---

[7]) Boissier (Étude sur la vie et les ouvrages de Varron 1860 p. 151) Varronem vituperat, quod, quum diceret *terram* dictam esse quod *tereretur* (V. 21. "Atilius scribit") credere potuerit, Latinos hujus rei notam non habuisse, antequam invenissent vocabulum, quo notarent id, quod consumeretur tritura (ce qui s'use et perit par le frottement). Ac sane notatio, ut fere omnes id genus conjecturæ, sive antiquorum sunt, sive recentiorum, parvi est facienda, sed cur illo nomine vituperetur non video. Ubi enim, quæso, Varro dixit, *hoc* nomine primo communem illam matrem omnium a Latinis appellatam fuisse?

[8]) *Brumam*, quod brevissimus sit dies, dictam, et *oscinem* "quod ore faciat auspicium" (canat), quis nostrorum non pro certis et indubitatis repetivit?

[9]) Postquam retulit illa, quæ apud Varronem IX, 16 sqq. leguntur, hæc addit: Mais, par malheur les philosophs grecs ne s'en tenaient pas à ces theories (?) sages et vraies. p. 143.

[10]) l. c. p. 147.

de lingua Latina libris hi sex servati sint, quum interierint Logistorici neque quidquam integri restet ex Menippeis [10]). Quippe, nobis enim, qui a pueris formulas declinandi et ordines didicimus, tota res levis videri potest, si obliviscimur, et omnino aliud esse invenire, aliud uti inventis, et nobis ipsis, non solum si nova ars grammatica nullo auctore condenda sit, sed etiam si earum formularum, quæ traditæ sunt, rationes intelligere velimus, ad eadem initia esse redeundum! Quanquam qui libro X:mo Varronis nihil amplius contineri putat, quam illa, quæ una pagina commemorat[1]), jure dicit, non fuisse, cur istis rebus Varro totum librum tribueret[2]). Ac nimirum ex scriptore copiosissimo suam quisque partem sumat, qua delectetur quamque illustret, quanquam ei, qui professus sit, se de toto scripturum esse, non licet de ulla parte recusare, quin eam perpoliat. Itaque magis etiam mirabar, eos ,qui de ipsa arte grammatica antiquorum scripserunt, non plus tribuisse Varroni, quum quid de lingua Græci vel grammatici vel philosophi aut tradidissent aut tanquam prætereuntes dixissent tantum, ex testimoniis sæpe dubiis diligenter indagare et persequi conarentur. Sed forsitan hæc ratio ad illorum consilium aptior fuerit, quum quibus tanquam gradibus vetus ars grammatica cum disserendi arte conjuncta crevisset et progressa esset, complecterentur. Qua in ratione magis potuerunt singula multa ex Varronis libris adhibere, quam ipsius imaginem exprimere, quippe qui et magna ex parte alienus sit, nec, quamvis laboret, ut ad universas quasdam notiones omnem vim sermonis referat, ac prædicet de se ipse, non solum ad Aristophanis, sed etiam ad Cleanthis se lucernam lucubravisse[3])

---

[10]) l. c. p. 138.

[1]) p. 147.

[2]) p. 148.

[3]) V. 5.

tamen hanc partem philosophiæ attingat, quæ dicitur dialectice. Etenim nusquam fere partes orationis earumque diversas vices ac tanquam munera ex sententia i. e. ex verborum conjunctione demonstrat, sed quum sermonem Latinum non solum ad *res*, sed etiam pæne ad res Romanas significandas natum arbitretur, totus versatur in eo, ut exponat, quibus modis ex verbis verba ac figuræ verborum propagentur, Ac rectene an secus Varro hanc partem doctrinæ a dialectica sejunctam habuerit — nam in tertia parte, quæ erat de conjunctione verborum, illa arte sine dubio usus est — hujus temporis non est quærere. Sed nos in dissimili consilio etiam viam fere contrariam sequamur, ut, quamvis non possit dubitari, quin Varro magnam disciplinæ partem ex fontibus hauserit Græcorum, tamen quid sui habeat, quid alieni, quærere omittamus, satis contenti, si nobis contingat, ut ipsam doctrinam talem, qualis sit, adumbrare et complecti liceat.

Primum igitur, quam divisionem a Platone indicatam vidimus, priorum quorundam vocum et posteriorum sive declinatarum, eandem apud Varronem, sed magna rerum copia et varietate locupletatam distinctamque reperimus. Dividit enim universam vim sermonis in duas partes, quarum unam dicit impositionem, alteram declinationem[5]). Impositio omnino omnis est effectio verbi i. e. qua cogitatæ rei nomen imponitur sive vox in certa ponitur significatione. "Declinatio est, quum ex verbo in verbum aut ex verbi discrimine, ut transeat mens, vocis commutatio fit aliqua[4])." Hinc sequitur imposito et declinato idem si-

---

[4]) VIII. 5. Duo omnino verborum principia, impositio et declinatio: alterum ut fons, alterum ut rivus.

[5]) X. 77. Declinatio quum per se nihil aliud significet quam commutationem, etiam ea commutatio, in qua non "transeat mens" declinatio dicitur (VI. 2), neque tamen in ipsa diciplina, quæ est de declinatione. Hoc si observasset Steinthalius, fortasse non tam severe de Varrone judicasset p. 336.

gnificari sed alio modo[6]). Sed illud, quod impositum est, rectum[7]) sive obliquum sive materiam verbi appellat, cui opponitur "*figura* materiæ, quæ ex declinatione fit"[8]). Qui autem transitus mentis cuique figuræ i. e. vocis commutationi respondet, eum modo appellat rationem[9]), modo commutatio vocis et mentis transitus una appellatione *figuræ* comprehenditur. Sed hæc commutatio vel in primo verbo fit vel in medio vel maxime in extremo[10]), quo fit ut ex parte potiori omnino casus dicatur. Ut quum VII. 110. secundam partem operis totam in hoc versari dicit, quemadmodum verba in casus declinentur. Qua in re Varro a consuetudine veterum non recessit, apud quos constat *πτῶσιν* quum omnino variam figurationem eorum, quæ sunt ejusdem *συστοιχίας* sive conjugationis[1]) tum maxime ex primaria forma declinatam aliquam significasse[2]). Sed non solum hujus vocabuli usus sed multo magis illo-

---

[6]) VIII. 3. Legi ubi declinatum est ab lego, duo simul apparent, quodammodo cadem dici et non eodem tempore factum: at si verbi gratia alterum horum diceretur Priamus, alterum Hecuba, nullam unitatem adsignificaret, quæ apparet in lego et legi et in Priamus, Priami. Cfr. Priscian. II. 146, 6.

[7]) VII. 1.

[8]) X. II.

[9]) X. 35.

[10]) X. 25.

[1]) Cic. Top. III. 12. Conjugata (argumenta) dicuntur quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varie commutantur ut sapiens, sapienter et cet. Hæc verborum conjugatio *συζυγία* dicitur.

[2]) Scholia ad Arist. Coll. Brandis. p. 104. *πτώσεις καλοῦσιν οἱ φιλόσοφοι οὐ μόνον τὰς παρὰ τοῖς γραμματικοῖς καλουμένας πλαγίας, ἀλλὰ καὶ πάσας τὰς παραγωγὰς καὶ τοὺς παρασχηματισμοὺς, οἷον τὸ δίκαιον καὶ δικαίως καὶ δικαιότερον καὶ ὁ δίκαιος καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα.* Arist. Top. A. 15. *ὅταν αὐτὸ πλεοναχῶς λέγεται καὶ ἡ πτῶσις ἡ ἀπ' αὐτοῦ πλεοναχῶς ῥηθήσται, κεαὶ εἰ πτῶσις καὶ αὐτό.*

rum, quæ supra diximus, *declinationis, figuræ* docet, quanta dissimilitudo Varroni sit cum grammaticis. Illi enim, qui ad usum discentium formam artis tradendæ accommodabant, quum a certis verborum discriminibus proficiscerentur, ante ipsam doctrinam, quæ cuique parti orationis acciderent, constituebant separatimque omnia et designabant vocabulis et tractabant. At hoc Varroni, Academicos sequenti, placere non potuit, ab inventis legibus ad singulas res ordinandas procedere, sed e contrario ab ignorantia quadam exorsus, quum ea, quæ pro utraque causa dicebantur, exposuit, tum primum ipsam formam disciplinæ depromit.

Sed, ut ad rem redeamus, aliud Varro dicit in verbis cognationem, similitudinem aliud. Cognata, inquit, sunt, quæ sunt ejusdem stirpis sive radicis[3]), sive quæ ab eadem recta forma declinantur. Ut ad fontem a rivis, vel ut a piro ad ramum, a ramo ad arborem, ab arbore ad radicem, sic a multipliciter declinatis verbis ad primigenia quædam[4]) sive principia[5]) reditur, a quibus profecta loquendi consuetudo gentilitates quasdam vel agnationes nominales

---

(de adverbio dicitur). Alia exempla inveniuntur apud *Steinthal.* l. c. p. 261.

[3]) VIII. 4. V. 13. Multa societas verborum. — *Radix* apud Varronem non (magis, quam stirps) proprie appellatio est ejus, quod nos *rot* (stam) dicimus, sed ipsa translatio non infrequens, quum de propagatione verborum loquitur. V. 13: Quæ cognatio erit ejus verbi, quæ radices egerit extra fines suos, persequemur. VII. 28. Casci origo Sabina, quæ usque in Oscam linguam radices egit. ibd. 35 quarum radices in Etruria, non in Latio quærundæ. V. 74. 93. VIII. 53.

[4]) Primigenia dicuntur verba ut lego, sto, quæ non sunt ab alio quo verbo, sed suas habent radices. Contra verba declinata sunt, quæ ab alio quo oriuntur, ut ab lego legis, legam. VI. 37.

[5]) ibd. VI. 39.

proseminavit[6]). Primigeniorum nulla ratio a grammatico postulari potest: cujus opus consummatum est, si potuit, a quibus principiis cetera ducta sint et quemadmodum, ostendere[7]). Itaque ad hoc genus, quod prius est, i. e. ad (primam) impositionem historia opus est; nisi descendendo enim aliter non pervenit ad nos: ad reliquum genus, quod posterius, ars, ad quam opus est paucis præceptis, quæ sunt brevia[8]). — Scilicet lingua verborum numerum infinitum habet vel etiam aliunde mutuari potest: declinandi autem *modis* certis, ac quibus consuevit, utitur. "Atque ut cognata sunt, in quibus materia eadem est, ratio sive figura diversa, sic similia, in quibus ratio eadem est, verbum non idem, i. e. in quibus idem fit mentis transitus[9]). In quibus si accedit, ut idem transitus eadem vocis commutatione notetur, tum perfecta exsistit illa, quam ars postulat, æquabilitas[10]) vel *voce* consequens declinatio i. e. analogia".

Qua de re quum magna esset inter doctos homines controversia, quod alii simpliciter esse in sermone analogiam, alii non esse contenderent, sed consuetudinem quandam in omnibus et dominari et debere do-

---

[6]) Ut in hominibus quædam sunt agnationes et gentilitates, sic in verbis et c. VIII. 7.

[7]) VI. 37. Nonnulla tamen Varro dicit a similitudine vocis dicta ut VI. 49. 52. V. 75. 100. Cfr. Bekk. Anecd. 848.

[8]) VIII. 6. Ad "historia" Müller l. c.: Nos diceremus empiria.

[9]) Unaquæque ratio collata cum altera aut similis aut dissimiles: aut sæpe verba alia, ratio eadem; et nonnumquam ratio alia, verba eadem. Quæ ratio in amor amori, eadem in dolor dolori, neque eadem in dolor dolorem etc. X. 36. Cfr. X. 77.

[10]) IX. 1. X. 77. Similitudo declinationis, quom item ex aliqua figura in figuram transit, ut id transit cum quo confertur. X. 65. Jupiter et Maspiter, Jovi et Marti similia esse inter se dicuntur neque a similitudine vocum declinatus habere.

minari, neque essent "earum rerum fundamenta, ut deberent ab ullo posita nec natura ut res postularet explicita", Varro hoc egit, ut, quum vim analogiæ definivisset, expediret, vel ubi hæc propter suam naturam quæri posset ac deberet, vel quæ copula[1]) esset rationis et usus sive consuetudinis, vel denique quatenus analogia in usu loquendi servari deberet. Atque ad secundam partem facilis est responsio et quæ magis non stulti, quam docti hominis sit. Docet enim "rationem et usum inter se conjunctiora esse, quam ii credant (i. e. qui anomaliam aut analogiam temere defendunt), quod nata sit ex quadam consuetudine analogia[2])" "quique in loquendo consuetudinem, qua oporteat uti, sequatur, eam sequatur non sine ratione"[3]). Sic fit, ut ratio sit ea consuetudo, quæ constet sibi[4]). Neque magis ad tertium illud dubium est, quid respondeatur. "Populus," inquit, "rationi obtemperare debet: nos singuli populo. — Itaque populus universus debet in omnibus verbis uti analogia, et, si perperam est consuetus, corrigere se ipsum", quod si aliter fit, tamen singuli non naturam verborum, sed usum populi *sequi* debent[5]). Huc pertinent illa, quæ vel de usu corrigendo disserit, vel de adventitiis et nothis

---

[1]) Nos dicimus "förhållande".

[2]) IX. 2. 3.

[3]) l. c. 8.

[4]) Bene Charisius p. 50 k.): "ratio, inquit, adeo cum ipsa loquella generata est, ut hodie nihil de suo analogia inferat." Sed et ea, quæ præcedunt, scholasticam quandam sapientiam redolent: "Latinus sermo postquam plane supervenientibus seculis accepit artifices et sollertiæ nostræ observationibus captus est, — regendum se regulæ tradidit et illam loquendi licentiam rationis regulæ addixit", et quæ sequuntur p. 51.: "analogia sermonis a natura proditi ordinatio est nec aliter barbaram linguam ab erudita, quam plumbum ab argento dissociat". Eadem fere Quintilianus: I. 6. 16.

[5]) IX. 5. 6. 10. sqq. 114. 115. X. 74. 78.

vocabulis, quæ quum re vera in populi potestate non sint, scriptoribus liceat quasi moderari, ne offendant, si aut iis, unde translata sint, aut iis, inter quæ sint invecta, nimis dissimilia videantur[7]).

Primum illud difficillimum est omnium et quod formam grammaticæ aut solum aut maxime attingat. Nam quum postuletur ad analogiam, ut in iis, quæ conferantur, et figura figuræ — quod vocabulum intelligendum est, ut supra diximus, ita ut idem sit ac *ratio* — et *verbum* verbo simile sit[8]), in verbo autem duo sint consideranda, res et vox[9]), neque vero aut rei aut vocis omnis diversitas quidquam impedire possit, quominus quærenda sit analogia[10]), efficitur, ut constituendum sit, primum num omnis declinatio ejusdem generis sit, deinde quæ omnino rerum, i. e. eorum, quæ significantur, discrimina ad orationem sive ad quæstionem Grammatici pertineant, denique, num in iis quæ res similes significent, vocis ipsius discrimina tantum valeant, ut tollatur aut in aliis alia fiat analogia.

Genera igitur declinationis Varro ponit duo, unum

---

[6]) Callide, opinor, Lerschius conjecit (l. c. I. p. 98) multa, quæ apud scenicos poetas Latinorum priscæ consuetudinis esse putentur, orta esse ex putido quodam studio æquabilitatis ut *iteris, præcipem* (quibus addiderim *nulli*, pro nullius; *hebem, indigem* Cic. de Or. II.), a populi sermone jam tunc alienæ, atque (p. 103)hunc ipsum morem a Varrone indicari, quum bonis poetis scenicis potestatem concedat, ut "novas' verbi declinationes ratione introducant". IX. 17.

[7]) X. 69 sqq. Cfr. VIII. 72.

[8]) X. 12.

[9]) X. 63. X. 77. Simile est verbum verbo tum, quum et re, quam significat, et voce, qua significat-parile est.

[10]) VIII. 39. IX. 40. X. 64. Quæ sunt discrimina in rebus partim non sunt, quæ ad orationem pertineant, partim, quæ pertineant.

naturale, alterum voluntarium[1]), Nec dubium est, quin naturalem intelligat eam fere, quam nos dicimus flexionem (κλίσιν, declinationem et conjugationem[2]), voluntatariam autem appellet derivationem (παραγωγήν[3]). Sed *cur* illa naturalis dicatur, altius est repetendum. Quod igitur dicit[4]): "Voluntarium est, quo, ut cujusque tulit voluntas declinavit vocabulorum: contra naturalem declinationem dico, quæ non a singulorum oritur voluntate, sed a communi consensu[5])", nihil videtur habere, quo hæc genera inter se distinguantur. Nam omne, quod in sermonis consuetudine est, communi quodam consensu constat. Sed quum ceteris illis locis hæc legantur: "naturam dico declinationem verborum, quo decurritur sine doctrina", et: "naturam dico quum universi acceptum nomen ab eo, qui imposuit, non requirimus, quemadmodum is velit declinari, sed ipsi declinamus, ut hujus Romæ, hanc Romam, hac Roma", apparet illud, quod dicit "communem" et "universos" non ad homines referendum esse, sed ad sermonem ipsum per se, quo homines tali utantur, qualem acceperint. Ergo naturalis declinatio dicitur, quod in hac sit ipsa natura sive ingenium sermonis i. e. quod per omnem sermonis copiam ita sit

---

[1]) VIII. 21.

[2]) quæ fit ex verbi discrimine (in discrimen) X. 77. Cfr. VIII. 14. Nomina declinantur aut in earum rerum discrimina, quarum nomina sunt, ut a Terentius Terenti, (aut in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt h. e. παραγωγή). Hanc declinationem, quæ sua cujusque verbi est, *flexuram* dicit X. 28. (flecti ibd. 29) et *inclinationem* IX. 1. IX. 34 (inclinari in tempora et casus), IX. 38. X. 78.

[3]) quæ fit ex verbo in verbum X. 77.

[4]) VIII. 21. 22.

[5]) Cfr. X. 15. Voluntatem appello, quum unusquivis a nom ne alio imponit nomen, ut Romulus Romæ. X. 51. Voluntatem dico impositionem vocabulorum.

diffusa, ut ea sublata sermo is, qui sit, esse desinat. Sed quum sermo ex innumerabilibus verbis consistat sitque in motu perpetuo, ut identidem alia verba intereant, alia quasi succrescant, non potest declinatio ad universum sermonem pertinere, nisi ita, ut non propria sit singulorum verborum, sed ejus generis aut classis, cujus quidque sit. Itaque quum verborum infinitus numerus sit, generum autem sive partium orationis certa paucitas, nec possit ullum verbum esse, quod non certi generis sit, ad positum vocabulum sine doctrina (i. e. ex more sermoni tanquam innato) adhibetur ea declinatio, quæ impositionis propria sit.

Non igitur dubitari potest, quin flexio naturalis declinatio ideo dicatur, quod ejusdem verbi affectio sit, voluntaria autem derivatio, quod verbi, ex quo fiat, non attingat naturam. Sed quemadmodum, ut nomina omnia in casus declinentur, verba autem temporalia in personas et tempora, naturâ utriusque generis fit, sic ut æqubiles sint hæ declinationes i. e. ut similes rationes simili vocis commutatione notentur, analogia est. Neque enim assentior Lerschio[6]) statuenti, a Varrone naturam et analogiam sive naturæ similitudinem eandem dici. Quod si ita esset, simpliciter diceret, in uno declinationis genere analogiam *sive* naturam esse, in altero inæquabilitatem sive voluntatem, non quum duo genera posuisset, naturale et voluntarium, in altero constantiam esse, quam ratio postularet, in altero inconstantiam[7]). Neque quenquam, si modo illa, quæ a Varrone argutius disputantur, quum naturam rerum et verborum inter se comparat[8]), attente perlegerit negaturum credo, ut aliud sit mundus, aliud analogia, quæ sit in mundo[9]), sic aliud dici naturalem declinatio-

---

[6]) l. c. I. 95 Cfr. 118. 5.

[7]) IX. 35.

[8]) IX. 23—33.

[9]) "in omnibus partibus mundi utraque natura inest" i e. anomalia et analogia IX. 113. Omnino non alienum est

nem, aliud naturalis declinationis æquabilitatem. Nam quum Varro esse in sermone analogiam hoc argumento probare conatus est, quod sit et usquequaque in mundo et in humana natura, ex altera parte fingit sibi occurri, in sermone omnino nihil esse, quod a natura factum sit, sed ad hominum voluntatem fingi omnia, et ad hoc respondet, esse revera naturale aliquid in sermone "ut ab impositis vocabulis, quæ inclinantur in tempora aut in casus".

Atque hoc loco distinctio quædam veterum grammaticorum, quem jam supra indicavimus, amplius et diligentius commemoranda est. Nam quum omnino similitudinem declinationis consequentiam sive *ἀκολουθίαν* vocent, con-

---

monere in eo scriptore, quem minima torqueat verborum cura: magis, qualem quamque notionem animo informaverit, spectandum esse, quam postulandum, ut ubique eidem verbo sententiam eandem subjecisse existimetur. Qua in causa imprimis duo verba Varroniana sunt, *natura* et *res*. Lerschius l. c. ubicunque legit *naturam* de eo, quod Græci *φύσιν* i. e. naturæ necessitatem et constantiam dixerunt, putat mentionem fieri. At Varro, quum IX. 63 dicit "analogiæ fundamentum esse naturam et usum" naturam non dicit *rationem declinandi*, sed nihil aliud quam (ad analogiam numerorum) postulat, ut res primum sit in natura, deinde etiam sit in usu (at *scala* non est in usu). Neque magis Varro, quum VIII. 43 "universam naturam verborum" ("språket i allmänhet") dicit, idem sentit, ac si dixerit universam analogiam. Cfr. VIII. 25. "prius contra universam analogiam; dein tum de singulis partibus a natura sermonis incipiam" ubi non credo quenquam posse suspicari de æquabilitate sermonis dici, sed idem est, ac si Suethice dicas: "efter språkmaterialets naturliga fördelning". Cfr. VIII. 44. Oratio secanda est *ut natura* in quattuor partes. — De altero vocabulo, quod apud Varronem sæpissime leguntur talia, qualia hæc sunt: a quibus *rebus* vocabula imposita sint in lingua Latina, scribam V. 1. alius ab alia *re* nomen imponit VIII. 21. medicus et sutor non a medendo et suendo, quæ omnino sunt

sequentiæ duplex genus esse statuunt, unum, quod tantum modo significatione constituatur, alterum quod etiam voce. Atque illud genus maxime in pronominibus principalibus inesse dicunt, quæ quum significatione eosdem habeant casus, qui sint nominum, (equus equi equo, ego mei mihi) vocis non servent consequentiam. Vel ut verbis utar Prisciani, hæc pronomina per singulos casus declinantur, sed unus casus non, ut fit in nominibus, ceteros condeclinat [10]).

Neque hæc distinctio a Varrone ipso non est instituta, qui dicit, quædam *verbis* dici proportione, neque a similitudine quoque vocum declinatus habere, ut Juppiter [2]) Maspiter Jovi Marti. Scilicet *Jovi* eandem rationem habere ad *Juppiter*, quam *Marti* ad *Maspiter*, quum uterque casus dandi sit, neque tamen similem esse vocis commutationem. His contraria esse, in quibus voces modo sint proportione

---

earum *rerum* ultimæ radices V. 93 verbum declinatur in eas res vel ab iis rebus et sim., id non ita urgendum est semper, quemadmodum fit a Steinthalio l. c. p. 345. Nam etsi Varro eo sane inclinat, ut verborum conjugationes et *rerum* easdem esse statuat et hæc ratio ad universam ejus etymologiam pertinet, tamen et apparet hoc "nomina declinari in res" (VIII. 18) non aliter intelligendum esse, quam "ad eas res significandas", et multis locis apud Varronem, ut apud omnes scriptores Latinos maximeque antiquiores (Plautum, Cæsarem,) *eæ res, hæ res* simpliciter pronominum neutrorum vicibus funguntur. Atque omnino, qui Varronem legit, meminisse debet illud, quod Varro ipse monet; debes subtilius audire, quam dici exspectari. X. 40.

[10]) Bekk. Aneed. 910. *τῶν μὲν ῥημάτων καὶ τῶν ὀνομάτων ἡ κλίσις καὶ κατὰ ἀκολουθίαν τῆς φωνῆς προέρχεται καὶ ἡ ἑτέρα ἀπὸ τῆς ἑτέρας κανονίζεται. αἱ δὲ πρωτότυποι ἀντωνυμίαι σημασίᾳ μόνον ποιοῦνται τὴν κλίσιν, οὐ μέντοι φωνῆς ἀκολουθία.* ibd. 900 *ἔστι δὲ κλίσις αὐτῷ (τῷ ἄρθρῳ) κατὰ ἀκολουθίαν φωνῆς καὶ οὐ (μόνον) κατὰ ἀκολουθίαν σημασίας* (Quod inseruimus *μόνον* Steinthalii causa factum est, qui (l. c. pag. 359.) hunc locum ita interpretatur, ut dicat,

similes, non res, ut bigæ nuptiæ[1]). Eandem rationem esse, si cujus vocabuli singularis sit series neque habeat cum qua comparari possit, "ut esse putant caput, capiti, capitis, capite", ut declinetur quidem non minus quam cetera, neque tamen analogia quæri possit[2]). Ergo si *ego*, tu, *Juppiter* eandem, quam *equus dominus* habeant per casus declinationem, sed illa significatione tantum consequentem sive similem, hæc etiam voce, et illa declinatio, quæ fit per casus, naturalis dicitur, efficitur, ut aliud sit naturalis declinatio, aliud æquabilis sive analogia.

Sed quid de hac re multa loquimur, quum per se perspicuum sit, non potuisse analoga dici, quæcunque eosdem naturales declinatus (casus aut tempora) haberent, sed quæ voce similes. Quod si aliter fuisset, aut nulla aut levis grammaticorum dissensio exstitisset neque ab ea pro-

---

Stoicos intellexisse, articulum, quippe qui ad "definiendum" natus esset neque genus (sexum) numeros propter suam significationem (*σημασίᾳ*) habere. Quod ut re ipsa verum sit, certe ex recentiorum doctrina totum sumitur, neque aut cum universa veteris grammaticæ ratione aut cum verbis scholiastæ conciliari potest. Is enim postquam docuit, articulum voce congruentem declinationem habere (olim enim dictum fuisse *τὸς τὴ τὸ*) hoc addit: (992 C) *καλῶς καὶ εὐλόγως γένη καὶ ἀριθμοὶ καὶ πτώσεις τῷ ἄρθρῳ παρέπονται*, quamvis neget sane articulum ob eam rem inventum esse, ut genus discerneret, sed relationis causa. Scilicet articuli eandem rationem esse, quæ sit tertiæ personæ pronominis, quod quum non semper *δεῖξιν* sed *ἀναφορὰν* habeat, consequenter declinatur ibd. 910. *αἱ δὲ τοῦ τρίτου οὖσαι ἀναφορικαὶ καὶ ταύτῃ ἀποῦσαι ἐπεδέξαντο κατάληξιν κλιτικὴν*. 399. *τὸ ἄρθρον ἐπενενόηται πρός τὸ ἀναφορὰν σημαίνειν* — 400. *εἰ δὲ ἀπολέσει τήν πρὸς τὰ πτωτικὰ συνάρτησιν, ἀντωνυμία γίνεται*. Cfr. Prisc. I. 578. II. 144. 145.

[1]) X. 65. 66. Cfr. X. 9. Neque aliud sibi vult quod X. 77. similitudinem verbi a similitudine declinationis distinguit.

[2]) X. 82.

fecti ad condendam grammaticam pervenisent. Nam illud quidem non tam ambigebatur ab iis, qui defendebant anomaliam, quin omnia nomina casus haberent, numeros, genera — quamquam de his quoque rebus certamen erat — verba autem personas et tempora; at num in his voce notandis similitudo esset et quatenus, de eo erat omnis contentio. Ut uno exemplo rem ostendam, non negabant, quemadmodum ad accubandi usum omne triclinium, sic ad unum quendam sermonis usum patricum omnem casum inventum esse; illud negabant omnem genitivum magis, quam triclinium[3]) omne, uno modo formari opus esse, quod sermo utilitatem et delectationem sequeretur, quarum utraque haberi posset sine similitudine[4]).

Ergo hoc quidem maneat, naturalem declinationem non dici, quod æquabilis sit, sed, quod in natura verbi inhæreat i. e. quod ex instituto universi sermonis modos quosdam exprimat, quibus res aut per se sit aut in oratione cogitetur, ideo fieri, ut in his figuris ratio similitudinis vigere possit. Contra in altero genere declinationis, quod non in eodem verbo mentis fiat transitus, sed verbum quasi materiam præbeat ad aliud verbum fingendum, similitudinem natare ut in eo genere in loquendo magis sit anomalia, quam analogia[5]).

---

[3]) Hoc exemplo triclinii Varro, ut omnino rerum in communi vita usitatarum, sæpe utitur. VII. 32. IX. 9.

[4]) Contra hanc sententiam forsitan quispiam credat locos ipsius Varronis afferri posse, in quibus idem significet *natura*, quod ratio vel analogia. Atque id non plane ausim negare. Sed primum dubito, num naturalis *declinatio* usquam apud Varronem dicatur pro *æquabili* aut *constanti*, deinde etiam si id ita sit, negem ex singulis locis Varroni tribui posse eam sententiam, quæ universæ ejus rationi repugnet. — Gravissimus forsitan videatur, cur contraria sententia verior sit, afferri hic locus VIII. 23: Quum utrumque non nunquam accidat et ut in voluntaria declinatione animadvertatur *natura* et in

Sed licet ex his videre, quantopere ceteris grammaticis Varro dissimilis sit. Illi enim inter ea, quæ nomini et verbo "accidant", etiam species et figuras (*εἴδη καὶ σχήματα*) numerant[5]) easque dicunt binas esse, principalem et derivatam, simplicem et compositam. (*πρωτότυπον καὶ παράγωγον, ἁπλοῦν καὶ δίπλοῦν*).[6]) Qua in re ea confundunt, quæ natura inter se nullam habeant societatem. Etenim "verbo accidere" certe ea tantummodo dici possunt, quibus ita afficitur, ut tamen non desinat idem verbum esse, non ea, quibus aut ipsum fingitur aut ex hoc alterum verbum formatur. Ergo species et figura non est verbi affectio quædam, ut est casus, numerus, persona. Neque *equo*, accidit, ut in *equitem* producatur; — nam in hoc derivato illa positio, per se certe, non est amplius —; neque *equiti* ut ab equo derivetur, quippe quod verbum hac, ipsa productione[7]) ponatur. At si quidem et *equi* et *eques* a communi aliqua materia declinatum est, recte quodam modo declinandi notioni, ut generi partes, et illa flexio et hæc derivatio subjungi possunt.

---

naturali voluntas, *quod* in utraque declinatione alia fiunt dissimilia, alia similia et cet. Sed hunc locum non dubito ita interpretari, ut natura dicatur id quod naturalis declinationis proprium sit i. e. constantia. Alter locus, qui contra nos afferri possit, hic est: IX 77. "Frugi rectus est natura frux, at secundum consuetudinem dicimus, ut hæc avis, hæc ovis, sic hæc frugis". At *naturâ* esse dicit eum nominativum, qui "naturalibus casibus" i. e. obliquis conveniat. X. 61. Idem l. c. dicit *cols* secundum naturam (i. e. ex regula genetivi), colis secundum consuetudinem dici, sed utrumque convenire ad *analogiam*. Ergo natura non est idem atque analogia.

[5]) Dion. Th. Bekk. Anecd. 634. *παρέπεται δὲ ὀνόματι πέντε, γένη, εἴδη, σχήματα, ἀριθμοὶ, πτώσεις*. Prisc. I. 57. H

[6]) Nam tertium quod addunt *παρασύνθετον* quivis videt ad *παράγωγον* pertinere.

[7]) Nostri "suffixum" dicunt. Verbum invenitur apud

Sed quod supra ostendimus naturalem declinationem a Varrone eam dici, quæ fiat per tempora et casus, contra voluntariam, quum e verbo verbum fingatur, est tamen, ubi vim naturalis declinationis latius extendere videatur; neque id injuria. Nam quæritur, qua omnino commutatione verbum ipsum aliud fiat. Varro quum VIII. 14. dixit, nomina declinari aut in sua discrimina aut in eas res extrinsecus, quarum nomina non sunt, ut equus equiso, illius generis duas species ponit. In sua, inquit, discrimina declinantur aut propter ipsius rei naturam, de qua dicitur, aut propter illius, qui dicit, (ut distinguere possit quom vocet, quom det, quom accuset[8]). Hac parte definitionis parum sane subtiliter, sed satis callide describitur casualis declinatio: priori parte continetur et numerus et comparatio ac deminutio)[9]. At quæ ratio hic bipertita est, ea alio loco in quattuor partes dividitur. "Nominatuum", inquit, "declinationum genera sunt quattuor, unum *nominandi*, ut ab equo equile, alterum casuale, ut ab equo equom; tertium augendi, ut ab albo albius; quartum minuendi, ut a cista cistella". Sed quum primum genus ita describat: "quum ab aliqua parte orationis declinata sunt

---

Cic. Top. VIII. 36 ubi disceptatio exponitur, utrum postliminium a *post* et limen junctum sit an *liminium* tantummodo sit productio verbi". Cfr. Gell. XI. 14. "requiri solet in vinulento et lutulento et turbulento vacuane et inanis sit ista productio, cujusmodi sunt quæ *παραγωγὰς* Græci dicunt an extrema illa particula habeat aliquid suæ propriæ significationis". Etiamnunc hoc non solum quæri solet, sed etiam — id quod molestius est — varia conjici.

[8]) ibd. 16.

[9]) Prætereo ea, quæ subabsurde adduntur § 15 de iis "quæ declinantur a parte". Communis fere omnium grammaticorum præceptio est, quum disserunt, unde sumantur adjectiones sive *ἐπίθετα*. Bekk. Anecd. 865. *Λαμβάνεται δὲ τὸ ἐπίθετον παρὰ ποιηταῖς ἀπὸ τῶν μάλιστα συνεχόντων τρόπων*

recto casu vocabula (i. e. nomina)", reperitur haec divisio ad easdem illas duas partes redigi posse[10]). — Non igitur, quum fingitur deminutivum aut comparativum, e vocabulo fit recto casu vocabulum? immo vero, sed non aliud vocabulum, non notio ex ea sede, in qua posita fuit, ad aliam partem deducitur, ut quum fit e Roma Romanus, ex urbe urbanus; tantummodo, quum in sua sede maneat, immutatur quodam modo vel quasi temperatur. Ergo hoc quidem genus *immutandi*, solum vero illud alterum *derivandi* recte appelles. Ac Varro quidem fortasse non est laudandus, quod deminutionem et comparationem casuali quam nominandi declinationi conjunctiores esse voluit; — casus enim sunt, quibus nomen ad diversas sententiæ partes sustinendas instruitur, illa vero immutatio ad ipsam notionem informandam pertinet: — sed tamen divisionem indicavit, qua etiam nostri, quum de formatione nominum scribunt, recte uti possint, præsertim quum ipsarum figurarum tam certa distinctio sit[1]).

εἴκοσι δύο τούτων. Cfr. Diom. 323. Prisc. 60. Hanc fere doctrinam Varro hoc loco inseruit, quum *mammosus, prudens* et sim. a parte hominis declinata dicit, mira confusione dissimilium, sed quæ latissime pateat non solum apud Varronem, sed etiam apud grammaticos, ut cognationem vocum et rerum non distinguant. Cfr Charisium, 155.: quædam generalia sunt, quibus multa continentur dissimilia, ut animal, arbor. *Ex his nascuntur* specialia — velut homo equus.

[10]) VIII. 52, 53.

[1]) In hanc divisionem incidit vetus quidam Grammaticus, quum dixit: "Ordines nominum sunt tres, positio, derivatio, deminutio" (Probus, Gramm. Lat. Edd. Keil IV. Fasc. 1. p. 73.), quanquam tertium illud genus nimis angustis terminis definivit. Neque Scaliger non idem sensit, quum statuit: deminutionem non inter genera nominum, sed inter accidentia proprie fuisse recensendam (de causis linguæ Lat. p. 230). Apud Madvigium res dubia non est, quin comparatio (nam

Illa vero nominandi declinatio apud Varronem non solum ea, quæ nos dicimus denominativa, — sed omnino omnem impositionem, quæ fit ab alio verbo ("ab aliqua parte orationis"), complectitur. Ergo huc pertinent vel participia et verbalia nomina ut *scribens scriptor* — quæ nos ipsam radicem habere potius, quam a verbo derivari

---

de deminutione nihil dicit) a derivatione separata ad flexionem referatur (om de grammatikalske Betegnelsers Tilblivelse og Væsen I. p. 7. 8. Cfr. 4). *G. Curtius*, (Zeitschr. für vergl. Sprachf. IV. 212.): Suffixe, inquit, welche an einem nominalstamm antreten, nicht um dessen Inhalt in eine andere Wortkategorie zu versetzen, sondern um diesen etwas umzubiegen oder mit irgend einer Nebenbeziehung zu versehen, können wir individualisirende (oder determinirende) Suffixe nennen". Quæ definitio plane cadit in deminutiva et cetera, quæ supra diximus. Neque enim, quum fingitur ab alto altior, tum fit, ad aliam "formam notionis" deductio, sed primaria notio tantummodo immutatur ("en modifikation af det Omfang eller den Form, hvorunder Enkeltforestillingen optages i Anskuelsen i Forhold til Ordets umiddel'bare Betydning". Madvig. l. c.) Sed Curtius, quam viam aperuit, eam ipse non persequens in illo genere suffixorum ea tantum quasi elementa ponit, quæ nunc saltem nihil ad significationem conferre sentiantur, ut *in* in it-in-ere, *c* in *homum-c-ulo* et cet. p. 213. 215. — Quod autem dixi figuras (suffixa) etiam utriusque generis discretas esse, ita saltem verum est, ut temeritatis accusandi sint, si qui, aut quum incertorum nominum origines dicere volunt, aut etiam in certis præter neccessitatem terminos ipsius sermonis movere audent. Ut Corssen (Aussprache, Vocalismus et cet. I. 83), quum *villam* a *vinula* ductam statuit, non consideravit, hoc suffixo- ul- verbalia tantum et deminutiva fingi, non possessiva solere. In eodem vitio *Düntzer* est (Lat. Wortbild. 50) dicens *salillum*, *ovillus*, *suillus*, *oscillum* ex sale, ove, sue, ore possessiva (nomina der Beziehung esse), quasi non perspicuum sit tria priora possessivorum salini, (ovini, suini) deminutiva esse, *oscillum* autem nihil habere, propter quod possessivum dici possit, sed merum esse deminutivum.

dicimus, — vel paronyma sive derivata[2]), ut *vinaria, laniena.* Hæc omnia dubitari nequit quin Varro ad voluntariam declinationem retulerit. In hoc igitur toto genere dicit inconstantiæ plus esse quam constantiæ, quod "declinantes imperite nomina imponant" neque "Aristarchum aut alios in analogiis defendendam ejus suscepisse causam" quod hoc genere declinatio in communi consuetudine ægrotet et languescat".[3]) Et tamen neque hoc loco a declinatione nominandi prorsus excludit analogiam — ut appareat voluntariam non dici, quia sit inæqualis — et alio loco dicit ea, "quæ declinentur — e recto casu in rectum casum — fere non discedere ab ratione sine justa causa"[4]). Quin etiam tertio quodam loco, quum distinxit "verba quæ imponuntur et ea, quæ declinantur", dicit tertiam rationem esse "quæ ex utroque misceatur genere".[5]) Scilicet observavit Varro, esse quasdam voluntariæ declinationis partes, in quibus magna esset constantia, idque ex eo fieri, quod ex more sermonis derivata verba cum prin-

---

[2]) Hoc (genus nominandi) triplices habet radices, quod et a vocabulo (i. e. appellativo VIII. 45), ut a venatore venabulum, et a nomine (i. e. proprio) ut a Tibure Tiburs, et a verbo, ut a currendo cursor. Cfr. VI. 36, verborum declinatuum genera sunt quattuor, unum quod adsignificat tempora neque habet casus, ut ab lego legis, alterum quod casus habet neque tempora adsignificat, ut ab lego lector et lectio, tertium quod habet utrumque et tempora et casus, ut ab lego legens, ⌊ecturus; quartum quod habet⌋ neutrum ut ab lego, lecte lectissime.

[3]) X. 16. IX. 40. Qui dicunt quod sit ab Romulo Roma et non Romula neque ut ab ove ovilia, sic a bove bovilia, non esse analogias, errant, quod nemo pollicetur e vocabulo declinari recto casu singulari in rectum singularem, sed ex duobus vocabulis similibus casus similiter declinatos similes fieri.

[4]) IX. 71.

[5]) X. 36.

cipalibus necessario paene vinculo continerentur, ita ut a naturali declinatione proxime viderentur abesse. In hoc genere sine dubio et participia inesse visa sunt[6]): — quæ, quod verbi genera et tempora certa lege sequuntur, nullam habent suffixorum varietatem, quum eorum, quæ dicuntur adjectiva verbalia, varia significatio sit et figuræ multiformes: — et possessiva, quæ fierent ex propriis hominum nominibus[7]) aut ex vocabulis: — quæ ut in nostra lingua, quæ compositione multum utatur, rara sunt, sic latinæ linguæ, quæ in hoc genere tantum non careat compositione, maxime propria sunt et paene necessaria.

Neque tamen Varro accurate designavit, quatenus in voluntaria declinatione servaretur analogia aut omnino eam partem disciplinæ, quæ est de impositione, ita instituit ac tractavit, ut figuras, quibus fieret hæc declinatio, tanquam duces sumeret ad verborum origines indagandas[8]) Cujus rei duas causas maxime invenio. Primum Varronis, ut hominis antiquarii, quum de verborum impositione cogitabat, maxime obversabantur menti propria Deorum, hominum, gentium, locorum nomina aut earum rerum, quæ in communi vita ac consuetudine versabantur, in quibus quum videret magnam esse inconstantiam (præsertim quum omne fere verbum in ea significatione, quam haberet ipsius ætate, natum duceret, ut ex notatione *imperatoris* V. 87. cernitur) etiam ceterorum nominum figuras diligentius observare et quid in quaque parte derivandi adderetur formandi causa, non curabat animadvertere ac colligere[9]). Altera erat causa

---

[6]) VIII. 58. IX. 110.

[7]) Nam de his sermo est IX. 71.

[8]) Pauca hujus rei vestigia sunt in illis libris: ut observavit suffixo *osus* significari abundantiam (VI 46)-*ulus* deminutivum esse etiam nimis intellexit, qui hanc vim ad *vehiculum* V. 140 transferret; *cantare* frequentativum esse notat VI. 76.

[9]) Ex hoc genere afferuntur exempla declinationis volun-

quod, ut fere antiqui, sic Varro in verborum originibus non tam ipsorum verborum quasi gradus et progressus, quam rerum quosdam sequi solebat, aut si observarat, verbum e verbo natum esse, id ad universa genera, quorum hæc erant, transferebat. Ut exempla afferam, quum viderent, homines fere ex arte, aut munere, aut omnino ex re, in qua quisque versaretur, cognominari, ut ærarium ex ære, argentarium ex argento, agrarium ex agro, et rursus regiones ex hominibus, ut ex Apulis Apu-

---

taria VIII. 21. 25. 56. 80. IX. 34. 50. 71. 90. X. 15. — Ceterum nescio an vera sit observatio, esse propria nomina sæpe profecta ex impositione vere voluntaria, quæ nulla ceterorum verborum lege aut consuetudine teneretur. Qua in causa imprimis sunt nomina Deorum, numinum, heroum, quos cuique rei præesse voluerunt. Nam licet videre ex his antiquissima fere, etiam si ex nominibus rerum, tamen non ad morem derivatorum ficta fuisse, sed populum, si non ipsam rem pro numine poneret, ut *Terminum*, *Fornacem*, rerum nomina tantum mutasse, quantum ad sexum significandum opus esset; ut *florem*, *fontem*, *fulgur*, *mortem*, *stimulum*, *stercus*, *nixum*, *sospitem* in *Floram*, *Fontum*, *Mortam*, *Fulguram*, *Sterculum*, *Stimulam*, *nixos* (Deos), *Sospitam* mutaverunt. *Weissenborn* (Lat. Gr. p. 29) igitur et *Düntzer* (l. c. p. 29) quum *Morta* et *Flora* utuntur, quo doceant simplici vocali (o, a, i) ad primitivi nominis thema addita fingi derivativa ("Sprossformen", "nomina der Beziehung") — id quod nusquam fit præterquam in compositis: nam ea, quæ præter hæc afferunt, decorus, sonorus simil., tam sunt ab ipsis radicibus, quam avarus ab avendo — sed illi, quum istis utuntur exemplis, vim hujus generis ignorant. In illis vero nominibus, quibus gentium aut oppidorum ficti auctores appellantur, etiam ratione fit, ut figuris suis potius primitiva sint illorum nominum (gentium et oppidorum), quam ex iis derivativa. Hinc *Priverni*, *Faleriorum*, *Tarquiniorum*, *Mantuæ*, *Asturæ*, *Anxuris*, conditores apud poetas *Privernus*, *Halesus*, *Tarchon*, *Manto*, *Astur*, *Anxur* appellantur, gentium vero Juliæ Julus, Vale-

liam[10]) his ita utebantur, ut etiam *medicum* e *medicina*, *sutorem* e *sutrina*[1]), *Latium* e *Latinis*[2]) *Romam* ex *Romulo* fictum dicerent. Nihil vero jam inde ab Aristotele omnibus Grammaticis adeo tamquam infixum erat, quam quod putabant, quia res ex virtute aut vitio aut omnino qualitate cognominarentur, etiam cognomina ipsa — quæ nos adjectiva dicimus —, ex qualitatum abstractis nominibus denominativa esse[3]). Nimirum hic quoque poterat recta observatio, si suos fines transibat, in errorem inducere, ut, quod animadvertissent in *ingenioso*, idem ad *nobilem* et *strenuum* transferrent.

Atque in illis de impositione libris, quæ Varro de singulorum verborum originibus conscripsit, ea qualia sint, quærere nostrum non est: illud non alienum fuerit, priusquam ad verborum naturalem declinationem veniamus, considerare, utrum ipsius operis forma ac descriptio plane extrinsecus assumpta sit, an habeat aliquid, quod ipsius sermonis discrimina attingere videatur.

---

riæ Valerus et denique Sabinorum Sabus vel Sabinus, Latinorum Latinus, Tiburtium Tiburtus vel Tiburnus. Ad hanc inconstantiam propriorum nominum si Corssenius retulisset illud, quod dicit, *Romulum* e *Roma* fictum esse (Romulus = Sohn der Stromstadt, Zeitschr. für Vergl. Sprachf. X. 18), justa reprehensione caruisset, quam nunc fugere vix potest: non enim magis ex ulla sermonis Latini lege fingitur ex Roma gentile Romulus, quam "ex Romulo Roma proportione est quod debuit esse". Varro VIII. 80.

[10]) Varro V. 32.

[1]) V. 93.

[2]) V. 32.

[3]) Arist. Categ. cap. VI. 17. *ποιὰ δὲ τὰ κατὰ ταύτας (τὰς ποιότητας) παρωνύμως λεγόμενα — οἷον ἀπὸ τῆς λευκότητος ὁ λευκός*. Varro VII. 15. (ingeniosus ab ingenio) strenuus, nobilis a strenuitate et nobilitate, prudens a prudentia V. 4. potis a potentia. Quint I. 6. 38.

Quod igitur in principio libri quinti quattuor dicit esse origines explanandi gradus, satis, credo, apparet, inter priores duos et posteriores hoc interesse, quod illi in singulis verbis occupentur, hi autem in universo sermone[4]). Sed quum quartum ita definit, ut "in eo sit aditus ad initia rerum", obscurum est, quæ dicat "initia". Ac certe rejicienda Lerschii est sententia, initia interpretantis "rarissima quæque vocabulorum"[5]), quorum cognitionem Varro, sive prisca populi vocabula sive poetarum sint, non ex philosophia petendam, sed ex monumentis literarum censet et potius Aristophane duce, quam Cleanthe[6]), quanquam omnino etymologo, si quid profecturus sit, utramque scientiam putat esse conjungendam[7]). Quum igitur fieri non possit, quin hæc initia non singula quædam sint, sed ea, quæ pertineant ad universam linguam, quæ "a Latino et Romulo regibus hereditate venit", non mirer, si quis cum Boissierio putet dici eadem, quæ V. 37 commemorentur, verba primigenia sive ultimas quasdam radi-

---

[4]) V. 7. Infimus is, quo etiam populus venit: quis enim non videt, unde arenifodinæ et viocurus? Secundus quo grammatica ascendit antiqua, quæ ostendit, quemadmodum quodque poeta finxerit verbum, confinxerit, declinarit". (Hæc igitur ratio, quum ad scriptores enarrandos accommodaretur, communem sermonem non putabat explicatione egere, sed si quid apud illos insolitum aut obscurum esset). — Tertius gradus quo philosophia ascendens pervenit, atque ea, quæ in consuetudine essent, aperire coepit, ut a quo dictum esset oppidum, vicus, via. —

[5]) l. c. III. 127. Die vierte wird alsdann nach der Analogie der zweiten in die Tiefen der Forschung über den Ursprung der seltneren sich verlieren.

[6]) Secundum gradum præteribo, quod non solum ad Aristophanis lucernam, sed etiam ad Cleanthis lucubravi. — Volui præterire eos, qui poetarum modo verba, ut sint ficta, expediunt. — V. 9. Cfr. VII.

[7]) VII. 2.

ces[8]). At si hoc ita est, quid relinquitur tertio gradui? nam ad hunc quoque dicit opus esse philosophia. Illud quoque videndum est, ne quartus gradus ab iis, quæ V. 11 dicuntur *rerum* initia, non possit sejungi. Equidem crediderim tertio gradui propositum dici, ut eorum verborum, quæ in quaque lingua sint, cognationes et origines perscrutetur, id quod neque sine scientia eorum, quæ de commutationibus literarum et de grammatica subtilius disputentur, neque sine multiplici vel omnino humanæ vel popularis vitæ cognitione possit perficere: quarto vero id dari muneris, ut ascendat ad ipsa loquendi initia sive ad universam humani generis ac sermonis condicionem, ac doceat, quid sit omnino illud, quod in hominum sensu et sermone versetur, et quomodo in quoque genere efficere possint, ut voce significetur. Ac Varro quidem ipse confitetur, se hoc tantum opus non posse perficere, i. e. neque primigeniorum rationem reddere, id quod quarti gradus sit[9]), sed colligere tantum, neque — id quod in tertio gradu postuletur — omnium verborum *ἔτυμα* dicere, sed ita in re non mediocriter obscura versari, ut, quum origines verborum vel ex monumentis literarum eruat vel "ad opinionem aucupetur"[10]) ad rem universam tantum, quantum possit fieri, philosophorum rationes et inventa accommodet.

Sed si hæc nobis obscura sunt, causa in eo maxime sita est, quod interierunt ii libri, "in quibus fuit de ipsa disciplina, quam vocant *ἐτυμολογικὴν*". Forma autem ho-

---

[8]) l. c. 140. il tentera de s'élever jusqu'aux premiers éléments — il ira jusqu' à ces mots qui ne sont pas formés d'aucun autre et qui sont à eux mêmes leur propre racine.

[9]) Hoc quomodo Stoici (Cleanthes, Chrysippus, Antipater VI. 1.) efficere conati sint, vid. Lersch. l. c III. 46. sqq.

[10]) partim quo ita invenerim, partim quo ita opiner scribam. V. 10.

rum librorum, qui supersunt, ea est, ut omnem verborum impositionem ad initia quædam referat, sive prima genera vel naturæ vel eorum, quæ ab hominibus voce significantur[1]). Naturam enim unam partem habere eorum, quæ in loco sint, i. e. corporum, alteram eorum, quæ sint in tempore, i. e. actionum. Ex quo fit, ut initiorum dicantur quadrigæ, locus corpus, tempus actio, quibus rerum initiis respondeant totidem sermonis partes. Hanc sequens divisionem Varro primum de vocabulis locorum et eorum, quæ sunt in locis, tum de altera parte simili ratione agit.

Jam vero non dubito, quin plerisque hæc divisio ad ipsius sermonis discrimina nihil omnino pertinere videatur, suspicantibus, Varronem tantummodo quæsivisse, quomodo vastam originum silvam, ex variis studiis neque ad hunc usum collectam, philosophorum more comprehensam disponeret. Sed tamen sine dubio secutus est aliquid, quod neque a naturali quadam verborum divisione neque a quæstionibus grammaticorum plane abhorreret, quod ne persequeretur, non tantum culpa sua, hominis non tam subtilis, quam diligentis et eruditi, sed maxime ipsius rei difficultate impediretur. Hoc quale sit experiamur, si quo modo excutere et ad rationem grammaticam referre possimus.

Primum igitur ut partes illæ naturæ, quum dicantur quattuor esse, revera non plures sunt quam duæ, quod locus et tempus non sunt, nisi rerum et motus intervalla (V. 11), sic in sermone. Ac Varro habet ille quidem rationem ita quadripertitam, ut diximus, sed tamen non obscure significat, quum partem eorum, quæ sunt in tempore ingrediatur, tum primum se ad ea pervenire, quæ a prioribus ipso genere diversa sint[2]). Quæ est igitur

---

[1]) genera prima rerum, totidem verborum V. 11. VII. 3. natura dux fuit ad vocabula imponenda homini.

[2]) De his duo prædicere volo, quanta sit multitudo eorum et quæ sint obscuriora, quam alia et cet. VI. 35—40.

hæc divisio, si ad justam rationem redigitur? Nempe non solum ipsa rerum distributio, sed etiam illud, quod dicit VIII. 12, quum partes orationis duæ principales sint, ut *homo scribit*, "has sequi tempus et locum, quod locus magis homini conjunctus sit, tempus scriptioni" — hæc, inquam, satis ostendunt, omnia ad discrimina nominum quorundam et verborum referri. Quod igitur *corpus* dicit, nihil videtur sentire aliud, quam id, quod grammatici Græci *οὐσίαν* (substantiam) dicunt, i. e. omne quod per se sit aut cogitetur[3]). Nam utrum vere sit in loco, an tantummodo cogitetur ejus generis esse, quæ sint in loco, nihil interest. Atque hoc Varronem ipsum indicare puto, quum dicit[5]), se de iis agere, non quæ sint in locis, sed quæ in locis esse *soleant*[6]). Rursus quod altera pars dicitur esse eorum, quæ in agendo fiunt aut dicuntur cum tempore aliquo, idem sibi vult, quod Græcorum grammaticorum appellationes *πράγματος σημαντικὰ* vel *κατηγορήματα*.

Sed utriusque partis dicit duplex genus esse, alterum prius, alterum posterius, ut *homo doctus, scribit docte.* Ac posteriora nomina alio loco cognomina[8]) dicit nec du-

---

[3]) Bekk. l. c. 843. *τοῦ ὀνόματος ἴδιον τυγχάνει οὐσίαν σημαίνειν. ἔστι δὲ οὐσία αὐθύπαρκτόν τι κατ' αὐτό.*

[4]) V. 57.

[5]) Videsne, quam hæc similia sint illis, quæ sunt apud *Bernhardium,* Anfangsgründe der Sprachwissenschaft p. 125, 126? Das Substantiv bedeutet ursprünglich die Substanz und die Anschauung — auch etwas was nicht Anschauung im Raume war, erhielt die Form einer Substanz, et *Wolfium,* Encyclopædie d. Alterthumswissensch. p. 80.

[6]) *proinde ac cognomina* VIII. 17. Varro quum artis vocabulo careret, quo redderet Græcum *ἐπίθετον*, ex communi vita arripuit, quo rem significaret. Simili fere inopia coactus IX. 54. *prænomine* usus est grammatice. — Müllero nescio quid venerit in mentem, quum *ac* deleret et lectionem

bium est, quin his appellationibus distinguantur ea, quæ nos dicimus substantiva[7]) et adjectiva[8]), cui quidem distinctioni constat ab antiquis non tantum, quantum a recentioribus tributum fuisse. Sed Varro nimirum substantiva priora dicit, quod ut *nomina* hominibus aut gentibus hominum, sic hæc omnino rebus, vel potius classibus rerum natura constitutis aut arte, ut propriæ et singulares notæ quasi adhæreant, adjectiva autem posteriora, quod non sint certarum rerum vocabula, sed in oratione iis, quibus videantur convenire (*οἷς ἂν ἐπισυμβαίνωσιν*), attribuantur[9]). Sic fit, ut et alia sit sermonis divisio. Est

---

cognominata huic, quam in majori parte codicum esse dicit, præferret sed credo eum *proinde* ita interpretatum esse: *inde* vel *ex his*. At neque nomina ipsa *cognominata* dici possunt, neque, si quid intelligo, *proinde* ita usurpari potuit. Contra *proinde ac* sine subjuncto verbo a Varrone adhiberi, exemplo est VI. 45: Ab eodem verbo *monere*, quod is qui monet proinde sit ac memoria.

[7]) *Substantiæ nomina* dicuntur a Prisciano: nomen substantivum, quod habet II. 154, pronomen est, quod "voce nihil manifestat præter substantiam", quum nomine notetur uniuscujusque substantiæ qualitas I. 57.

[8]) Adjectiva sive adjectiones sunt, quæ sumuntur a qualitate speciali - sive ex accidentibus Prisc. I. 58. 60. Apud majorem partem grammaticorum Latinorum non genera ipsa distinguuntur, sed "adjectiva sive adjectiones" in turbam earum, quas dicunt species nominum, conjiciuntur. Vid. Incert. Gramm. apud Eichenf. et Endl. 80. 81.

[9]) *τὰ κύρια καὶ προσηγορικὰ αὐτοτελῆ ἐστι, τὰ δὲ ἐπίθετα ἐπαγωγῆς δεόμενα.* Bekk. 864. Prisc. I. 83. 85. "Adjectiva sunt quæ sumuntur ex accidentibus substantiæ nominum — ea vero, nisi prior illa cogitetur, esse non possunt". H. e. quum sermo in certis rebus versetur, adjectiva non aliter sunt in sermone, quam ut ad illa, quæ dicuntur substantiæ nomina, sese applicent. Sed ut re vera accidentia non sunt nominum substantiæ, sed ipsius substantiæ, sic non

enim et propria quædam et quasi privata materia, substantivorum, et alia quasi communis eorum, quibus aut res ex speciali qualitate nominatur (adjectiva) aut aliquid esse aut fieri i. e. in tempore versari enuntiatur (verba), aut denique ipsa qualitas aut actio describitur vel definitur (adverbia[10]). Neque hæc ratio a Varronis doctrina aliena est. Nam et vocabula eorum, quæ sunt in loco, omnino illius generis sunt et inter vocabula eorum, quæ sunt in tempore, non solum *legisti* ponit, sed etiam *ludens*. V. 35. Quod si quis occurrit, hoc ideo fieri, quod ludens sit participium, ea contempletur, quæ

---

substantivo attribuitur adjectivum, sed utrumque cogitatæ rei ὁμωνύμως. Dionys. Thr. 636. — Quod Grammatici adjectiva μέσα sive mediæ potestatis appellaverunt, hanc appellationem credo, si recte intelligitur, nihil aliud ostendere, quam ea ad infinitam attributionem apta esse, quum substantivum certo orbe circumscribatur, extra quem nisi per translationem nulli rei attribui possit.

[10]) Hanc divisionem secuti sunt non solum vetustissimi, qui ῥήματα vel verba vel adjectiva appellarunt, (vid. supra) et omnino ii, qui adjectiva, verba, adverbia communi nomine κατηγορήματα appellarunt, sed etiam ex recentioribus illi, qui de "universa Grammatica" scripserunt. Harris, Hermes p. 29 ff. Wolf, l. c. p. 80 ff. Bernhardi l. c. 124. *K. F. Becker* (Sein und Thätigkeit). Qua in sententia quid veri sit, supra commonstrasse mihi videor. Neque enim assentior Wolfio neganti, adjectivum nomen (i. e. rei appellationem) recte dici l. c. p. 109, neque Becker mihi persuadet formam notionis (si modo hæc Latine dici possunt) in adjectivo eandem esse quam in verbo, sed in hoc accedere enuntiationem, qua referatur ad nomen, quod subjectum sit orationis. Nam ipsa vis verbi est in enuntiatione, quæ si esset affectio sive relatio ad aliud, verbum impersonale ne cogitari quidem posset. (Cfr. Becker Deutsche Gramm. p. 13). Atque etiam hæc sententia omne discrimen adverbii et adjectivi prorsus tollit, quod nullum potest esse, nisi hoc teneas, adjectivo *rem* nominari. Sed

libro sexto continentur: inveniet non solum participia sed etiam ea, quæ dicimus verbalia adjectiva, ad hanc partem referri.

Est vero etiam tertium, quod videatur esse considerandum. Veteres Grammatici quum omnino nomen *οὐσίαν* sive substantiam, — ex qualitate —: nam nudæ cujusdam substantiæ recte dicebant pronomen notam esse — significare dicerent, hujus duplex genus posuerunt *σωμάτων καὶ πραγμάτων*[1]). Quum autem verbi dicerent proprium esse *πρᾶγμα* significare, fiebat, ut verbum temporale et nominum species quædam eodem modo definiretur. Sed tamen facilis erat distinctio: verbis actionem enuntiari[2]), nominibus autem, ita ut corpus, appellari[3]). Hujus distinctionis vestigium non est apud Varronem, sed discrimen ipsum non ignorat; apud quem non solum abstracta nomina, quæ dicimus, verba sequantur, ita ut nihil putet interesse utrum ad verbi vim explanandam abstracto nomine utatur, an contra, sed etiam dicatur V. 35: Nunc quod ad eas res attinet, quæ in tempore aliquo fieri animadverterentur, dicam ut hæc sunt: *legisti*, *cursus*, *ludens*. Sic demum plene describitur, qualis sit Varronis divisio, si dicas, priori parte omnino contineri ea substan-

---

utrum convenientia figuræ (casus, generis, numeri) ostendat, necne, substantivum et attributum ejusdem rei notas esse, aut quatenus id fiat, ad rem nihil interest, quum id indicet ipse modus, quo conjunguntur. — Ceterum magna pars nostrorum grammaticorum ita definit adjectivum, quasi sit substantivum abstractum: aliter Madvig, Latein. Gramm. 1857, p. 16.

[1]) Bekk. 845. Prisc. I. 56. corporum et rerum.

[2]) *θεωρεῖσθαι ἔν τινι* Bekk. 1276. ("anskues paa et Subject". Madv. Om Sprogets Væsen p. 26).

[3]) l. c. *τὸ πρᾶγμα αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ νοούμενον* 883. Hanc definitionem grammaticus recte et in infinitivum et in abstractum substantivum cadere vult. Cfr. *Rusén*, Om Infinitiven i Attiska dialekt. p. 2.

tiva, quæ dicimus concreta, quod tota vis i. e. omnes partes rei una nota comprehenduntur, altera autem vel verba temporalia[4]) et adjectiva et adverbia vel ea substantiva, quæ sunt ipsorum verborum aut attributorum nomina.

Jam vero, quum dicit nomen prius esse, quam verbum temporale VIII. 12, hoc sentit nimirum, illam partem quasi primam materiam et fundamentum orationis esse. At quum ab his initiis ad origines verborum aperiendas aggreditur et experitur ipse et monet eos, qui lecturi sunt, huic divisioni non respondere verborum, quas dicit, agnationes et gentilitates[5]). Non enim solum utriusque partem communes fere radices habere, sed radices omnino substantivorum, si possint erui, in parte posteriori inveniri[6]). Scilicet originem nominis, quod rei proprium sit, aperire, nihil aliud est, quam dicere conari, ex qua actione aut virtute res appellata sit[7]) Quod si ita est, ap-

---

[4]) Varro VIII. 13. Verbum partem orationis temporalem recte dici credimus, non quod "propriis figuris" ut est apud Grammaticum "temporis discrimina significet", sed quod nullius rei veritatem ("afsluttet Anskuelse af Existens" Madv. l. c. p. 33) cogitare et enuntiare possumus, nisi ita ut tanquam in tempore ponatur.

[5]) V. 13. Quum codices habeant: "si ab agro ad *agrosium* hominem, ad agricolam pervenero, non aberraro" Müller ad *agrosum*, Spengel (ut in Jahrb. f. phil. u. pæd. 1855 I. 534, 5 traditur) *ad agrarium* legit. Nulla lenior est emendatio, quam si legas *Agrasium*, formam priscam et Sabinam, sed quæ ut proprium nomen in *homine* remanserit. In libro I de r. r. Varro hominem Reatinum, *Agrasium*, cum *Agrio* et *Stolone* et *Scrofa* de agricultura colloquentem inducit. Ex eodem agro fuit Vespasianus imperator, matre Vespasia natus. VI. 1.

[6]) VI. 37 ff. Bekk. 844. 880.

[7]) Madvig l. c. p. 30. et oprindeligt, ikke af Verbal-

paret, etymologum, quousque progrediatur, pro concesso ponere, nomina vi sua et origine substantiva non esse, sed facta esse, quum id, quod poterat esse multorum commune, ad certum genus ita deferretur, ut ab ejus usu excluderentur cetera.

At si Varro hoc intellexit, in verbis omnino radices esse, quid fuit, cur non hanc viam sequeretur, ut a principiis profectus progrederetur ad ea, quæ inde essent proseminata, potius, quam dispersam declinatorum congeriem ad suum quidque principium referret? Si verum quærimus, utrumque fecit vel saltem inchoavit. Nam in posteriori parte illam sequitur rationem, ut ad principia certe colligat declinata[8]), in priori autem ad rerum quaedam genera refert omnia[9]). Illa via est ipsius sermonis, hæc etymologi, qui certe illa ætate vix aliam ingredi poterat, quum non iisdem, quæ nunc sunt, subsidiis ad opus perpoliendum adjuvaretur. Nec credo quenquam mirari, quod in diversa parte diversam rationem secutus est, sed potius quod, quum difficultates rei tam bene perspiceret, (V. 3), tamen in hoc conjiciendi opere tantum studii poneret. Sed hic quoque animadvertimus illud, quod supra diximus, nascentes artes difficillima quæque sibi proponere. Nam si hic homo doctissimus nostris seculis vixisset, certe pro etymologia lexicon scripsisset.

Præterea si videmus Varronem in priori parte et majori studio et diutius detineri, causa est ab ingenio et studiis hominis non aliena. Etenim substantivorum notatio sæ-

---

eller Adjectivrod dannet Navn for en concret (mangesidig) Gjenstand vilde være et höist sjeldent Phænomen.

[8]) Exempla sunt Fatur VI. 52—55. Dico 61—62. Tero V. 21.

[9]) V. 57. Immortalia et mortalia expediam. — deinde sequuntur nomina Deorum, hominum, animalium et eorum quæ ex terra gignuntur, postremo eorum, quæ hominum manu et arte effecta sunt.

pius ex illa, cujus peritissimus erat, antiquitatis cognitione erat petenda, vel sæpe ad hanc illustrandam ipsa conferebat aliquid. Ac quod semper operam dabat, ut peregrina vocabula a vernaculis distingueret, id non solum conjiciendi temeritatem minuebat, sed etiam augebat delectationem, quum videret hanc partem sermonis non solum vitæ popularis, sed etiam commercii monumenta quædam habere. Neque enim quæcunque explicare non potest, peregrina dicit, sed quæ scit unde sint[10]). At quum ad verba pervenit, queritur et multitudinem eorum et obscuritatem, quod "neque his fere societas cum Græca lingua neque vernacula lingua ea, in cujus partum memoria adfuerit *nostra*", i. e. non Varronis, sed populi Romani. Hoc igitur satis callide observat, verbi partem ut maxime propriam et per omnem sermonem latissime diffusam, sic tanquam nudam et abstrusam et ad memoriam conservandam minus insignem. Ceterum non est, quod moneamus, parum sibi constare Varronem, qui verba dicat primigeniam sermonis partem et tamen suum putet esse etiam horum ἔτυμα conjicere, ut *video a vi*, *loquor a loco*, nec habeat omnino, ubi tanquam in ultimo conjiciendi finem faciat. Sed alii vel accusent scriptorem vel excusent benigne[1]): nos institutam viam persequamur.

Veniamus igitur ad naturalem declinationem et videamus quomodo in hac Varro formulam quandam similitudinis vel constituerit vel contra eos defenderit, qui susceperant causam contrariam. Nam satis credo, si quis attenderit, apparere, Varronem, etsi in contrarias partes disputet, non esse

---

[10]) de nostris dicam, cur sint, de alienis, unde sint V. 10. Linguas ipsas cognatas esse, nulla apud Varronem suspicio est: versatur in eo sermone, qui natus sit in Latio ac, ne Oscam quidam et Sabinam ad se quidquam putet pertinere. V. 29. 74. "potest Saturnus hic de alia causa dictus esse atque in Sabinis". Cfr. VI. extr.

[1]) Lersch. l. c. III. 169. Boissier, l. c. 151.

æquum utriusque causæ defensorem et impugnatorem, sed jam in octavo libro, ubi contra analogiam loquitur, haud dubie tamen ad hanc partem inclinare, quum in iis, qui dicant esse analogias, non tam ipsam rem reprehendat, quam quod ignorent, quo in loco debeat esse similitudo et quemadmodum soleat spectari[2]). Non solum licet videre, eum in hac parte (VIII 26 extr.) aperte cavillantem et properantem agere, quum causam interponat, modo eadem infra planius esse usurpanda[3]), modo se timere, ne librarii "hæc spinosiora indiligentius efferant"[4]), sed fit etiam, ut oblitus, se ipsum causam anomaliæ agere, ita loquatur, quasi tantummodo sit narrator alienæ litis. Ita quum (61), tanquam ex sua mente dixit "de compositis separatim dicam", in iis, quæ sequuntur, narratione utitur: "*quærunt* (Cratetei[5]) — *ajunt* — *nominari* — *dici* (§. 62.). In §. 64 ipse loquitur: at 65 — 71 rursus in narrando versatur (66. *dicunt*, 67 *despiciendam esse*. 68. *rogant* — *dicunt*. 60. *non debere*. 70. *inquit* 71. *item quærunt*.) Horum locorum similitudine commotus credo §. 63. init. Muellerum sine justa causa pro "dicunt debuisse" quod erat in vulgata, scripsisse "discant (Aristarchei) debuisse", præsertim quum cetera: "nunc alios *ha-*

---

[2]) VIII. 39 sqq. Nam quum ad analogiam postularent, ut et figura figura et verbum verbo simile esset, in verbo autem et res rei et voci vox, ex altera parte occurrebatur, ita Theonam et Dionam dissimiles esse, si alter senex esset, alter puer, aut alter albus, alter Aethiops.

[3]) ibd. 43.

[4]) 51.

[5]) Crates ipse nominatur 64. 68. Non igitur vere Boissier l. c. p. 146.: "Chacun des deux parties a son tour dans un livre special; il indique toutes leurs raisons et entre si bien dans l'opinion de ceux, dont il énonce la pensée, qu'on croirait à chaque fois, que c'est pour son propre compte qu'il a parlé."

bere" "non esse ergo" ad hunc modum orationis accommodari videantur[6]). Sed redeamus ad formulam.

In simili igitur, inquit, genere declinationis quæri potest analogia, si verba, quæ conferuntur similia sunt et transitus, in quo conferuntur, similis. Ergo verborum sunt classes quædam sive genera constituenda, quorum fines si transeas in comparando, analogia locum habere non possit[7]). "Prima igitur divisio est, quod alia nusquam declinantur, ut *vix, mox,* alia declinantur ut *limo, nox*[8]):" deinde ea, quæ declinantur, in duas partes dividuntur, alteram nominum[9]), quæ adsignificant casus, alteram verborum, quæ tempora[10]), quarum illa appellandi pars, hæc dicendi dici potest[1]).

---

[6]) Neque enim recte Mueller: "Hæc, inquit, — — Varro (dicit) contra Aristarcheos ex mente Crateteorum disputans". — Quanquam non nego, quum dictum sit: "Relinquitur de casibus, in quo Aristarchei omnes contendunt nervos", durius id, quod proxime sequatur verbum, ad aliud subjectum referri. Sed ita esse ostendunt infinitivi. Neque enim credo cuiquam hunc placere nexum verborum: discant Aristarchei alios habere unum casum et sqq.

[7]) X. 14. 17. VIII. 36. ut si quis nox et mox, Luam (Saturni) et luam (verb. temp.), Meto (nom. propr.) et meto (IX. 89) inter se conferat. Cfr. X. 79.

[8]) X. 14. VIII. 9. Duo genera verborum, unum fecundum, quod declinando multas ex se parit dispariles formas, alterum genus sterile, quod ex se parit nihil, ut est etiam, vix, cras, magis, quor.

[9]) VIII. 11. verba et *vocabula* distinguuntur. Eadem vero 13 nomina appellantur, qua appellatione nos quoque de toto genere utamur.

[10]) Nam tertia pars participiorum non tam a ceteris diversa est, quam ex utraque permixta, et appellatur *vocabulum* VIII. 58.

[1]) VIII. 44. Satis notum est, Varronem partes orationis aliter constituere, quum solam declinandi diversitatem se-

Neque tamen ad verborum similitudinem satis est, si ex eadem parte orationis sumuntur: nam sunt utriusque

---

quatur (VI. 36. quæ tempora habent, quæ casus, quæ utrumque, quæ neutrum, ut lecte X. 17.) aliter paullo, quum huic rationi dividendi admisceat alteram, quæ sumitur ex vicibus sive muneribus, quibus in sententia funguntur verba. Nam VIII. 44. ab eadem illa, quæ VI. 36. est, divisione profectus: "Has inquit, vocant quidam appellandi, dicendi, adminiculandi, jungendi. Appellandi dicitur, ut *homo* et *Nestor;* dicendi ut *scribo* et *lego*, jungendi ut *et* et *que*: adminiculandi ut *docte* et *commode*". (Ita pro eo, quod exspectares, participio adverbium hoc loco utrumque dicitur habere (et tempora et casus), quum ceteris locis dicatur neutrum habere.) Quæ divisio si per se spectatur, non incommoda videri potest, ne tum quidem si participium quarto loco una cum adverbio contineri statuas. Nam in sententia muneri adverbii cum participio non mediocris similitudo est, quod utrumque ad vim verbi definiendam vel inplendam pertinet. Sed ut hoc verum est, sic non licet negare, Varronem hanc divisionem cum altera illa non satis prudenter confundere. Neque Lerschius non probabiliter dicit, illam, quæ ex declinatione sumatur, a Varrone ipso inventam esse, hanc autem, quæ subtilior sit ac magis ad dialecticorum rationem accommodata, aliunde assumi, præsertim quum dicat: Has *quidam* dicunt (Lersch. l. c. II. 148). Sed tamen hoc ipsum *has* ostendit, Varronem nomina tantum diversa esse putasse, ceterum divisionem eandem. Ac quum considero non solum ea, quæ X. 17 paullo inconsideratius dicuntur, quum inter ea, quæ habent declinatus, numerantur etiam ea, quæ neutrum (genus declinatuum, nec casus nec tempora) habent, ut docte et facete, sed etiam video VIII. 12. adverbia dici verba quædam posteriora, intelligo, Varronem non tam alteram sententiam probare, alteram referre tantum, quam ipsum dubitare, utro in loco ponat adverbium (ἐπίῤῥημα), i. e. utrum propter figuram (quæ sit indeclinabilis) cum conjunctione (copulis VIII. 10.) et præpositione, an propter rationem sententiæ cum participio et adjectivo (attributivis). Nam ne Grammaticos quidem fugit, adverbium quali-

partis species plures[2]). Primum enim nomen sive pars casualis in duas species dividitur, in articulos[3]) et nominatus. Ex quibus, "quod illi singula vocabula sunt, vix in iis adumbrata est analogia"; ex quo fit ut omnis quæstio ad priorem speciem referatur, in qua magna sit copia similium[4]).

"Nominatui autem ut sit similis nominatus, habere debet, ut sit eodem genere, specie eadem, sic casu, exitu eodem. Genere, ut si nomen est, quod conferas cum quo conferas sit nomen (i e. proprium, non appellativum, quod hoc loco *vocabulum* appellat), specie simile, ut non solum, sed utrumque sit virile: casu simile, ut si alterum sit

---

tatis adjectivo conjunctius esse, quam ceteris, quæ vocantur particulis, ita ut hoc adverbium ad *κατηγορήματα*, referrent Bekker Anecd., (Apollonius) 532. Cfr. 932. *καὶ τὸ ἐπίρρημα κατηγόρημά φασιν οἱ φιλόσοφοι* et eundem Apollonium p. 529. *τὰ δή οὖν πτωτικὰ (ἐπιθετικὰ) τὴν τοιαύτην σύνταξιν πρὸς τὰ ὀνόματα (ταχὺ μειράκιον) μὴ ἀναδεξάμενα (κατηγοροῦντα οὐ τῶν ὀνομάτων* 530), *ἐπικείμενα δὲ τοῖς ῥήμασιν, — ἐκαλεῖτο οὐκέτι πτωτικά, ἀλλ' ἐπιρρήματα.* Hic grammaticus satis callide descripsit, adverbium nudam sive absolutam quandam notam esse qualitatis, cui non, ut adjectivo nomini, subjiciatur substantia. Hinc etiam adverbia, quæ ex adjectivis derivativa essent, *μεσότητας* dixerunt, quod omne instrumentum adjectivorum deposuissent solamque retinuissent qualitatem. (Bekk. 939, 940. maxime autem, quod carent generum discrimine, appellantur *μέσα*).

[2]) X. 18.

[3]) Plura de his leguntur VIII. 45, 59.

[4]) Cur pronomina, quæ "voce nihil manifestant nisi substantiam" singula fere sint neque habeant consequentes declinationes (— "ne, quum pro omnibus accipiantur nominibus, uni eorum terminationi succedant" —), habeant autem nomina, "quorum positio inventa est ad significationem qualitatum, vel propriarum vel communium, quæ sunt innumerabiles". — disserit Priscianus, II. 145, 146.

dandi, item alterum sit dandi, exitu, ut, quas unum habeat extremas litteras, easdem alterum habeat[5])".

Ex his quattuor, quæ postulantur ad analogiam — non ita, ut in his sit analogia, sed ut sine his analogia quæri non possit, — primum non semper considerare, sed nonnunquam dicit opus esse[6]). Ex ceteris apparet tertium illud ad rationum discrimina pertinere, secundum autem et quartum ad diversitatem ipsorum, quæ declinantur, nominum, et quidem ita, ut illud in re sit, alterum in voce. Atque in his locis tanquam in cardine vertitur et Varronis doctrina et omnino declinationis formulæ.

Etenim exitum nimirum non dicit casum sive discrimen nominis, sed ipsius nominis i. e. ejus formæ, ex qua declinantur sive commutantur discrimina, ipsa vero nihil habet discriminis, sed ipsius per se nominis positionem, sive impositionem. Hæc et recta dicitur quod nondum inflexa est[7]), et caput[8]) et principium[9]), quod ab ea proficiscuntur obliquæ sive declinata. In his autem positionibus non omnis similitudo aut dissimilitudo ad declinationem vim habet, sed exitus[10]), quem quæ similem habent, similes dicuntur positiones[1]), quæ autem dissimilem,

---

[5]) X. 21. Eadem fere ex Aristophane (Varro V. 4), Charisius 117.

[6]) X. 20. nos sicubi opus fuerit, quid sit et quor, ascribimus utriusque causas. Cogitavit Varro maxime de adventiciis nominibus, quæ commemorantur X. 69 sqq.

[7]) VIII. 1.

[8]) X. 50. IX. 79.

[9]) X. 60.

[10]) X. 25. Refert, ex quibus literis quodque verbum constet, et maxime extrema (?), quod ea in plerisque commutantur. Bekk. l. c. 912 *ἔδει τὸν χαρακτῆρα εἶναι ἐν τῷ κυριωτέρῳ τόπῳ, ὁ δὲ κυριώτερος τόπος τὸ τέλος.*

[1]) Hinc feminina positio (in *a*) Quint. I. 4. 24 posi-

dissimiles. Analogia igitur est, si similem recti nominis exitum similes consequuntur casus estque exitus quasi formula sive in forma declinationis[2]). Sed etiam verbum verbo formula esse sive regula dici potest, quia, cujus quodque verbum positione simile est, ejus exemplum in declinando sequitur[3]). Quæ autem nomina in declinando non sequuntur formulam positionis, eorum declinatio positiva (*θεματικὴ*) dicitur, quod sibi quisque declinatus positio sive formula esse videatur[4]).

Jam vero ubi quæratur hoc caput sive principium declinationis consequentis? Hic et Varro respondet et veteres omnes Grammatici: in nominativo singularis numeri, qui quum nihil habeat præter ipsius rei sine numeri[5]) et casus discrimine nominationem nimirum ipsa

---

tione singularia, Diom. 322 et sqq., ita ut positio, quum per se impositionem significet, idem fere sit atque *exitus* recti (*κατάληξις τῆς εὐθείας*). Quamquam apud posteriores quosdam grammaticos lapsa consuetudo positionem dixit omnem omnino terminationem nominis. Vid. Consentium. 2032 P.

[2]) IX. 102. IX. 90. Quod quisque caput prehenderit, sequi debet ejus consequentes casus. Bekk. l. c. 910. *αἱ καταλήξεις τῶν ὀνομάτων ἀνάλογοι οὖσαι* (*ος, η, ον*) *κλίσιν ἀνάλογον ἔσχον.*

[3]) Varro VIII. 6.

[4]) Bekk. 910. (*τὰς πρωτοτύπους ἀντωνυμίας*) *θεματικὰς καλοῦμεν, ὅτι ἑκάστη φωνὴ ἑαυτῇ ἐστι θέμα, καὶ οὐ κανονίζεται ἡ ἑτέρα ἀπὸ τῆς ἑτέρας* Prisc. II. 144. Principalia pronomina — positive magis per singulos casus declinantur, quum non potest *ego* secundum rationem casualium *mei* genetivum adhibere, neque tamen *mei* genetivus *mihi* et *me* opportune asciscit, numeris quoque positive commutatis et cet. Simili ratione a quibusdam "*δύο καὶ ἄμφω θεματικά*" dicebantur *τουτέστιν μὴ γενέσθαι ἀπὸ ἑνικῶν.*

[5]) Numerum in singulari non esse, Priscianus docet I. 172.

est impositio sive rectum illud, quod natura prius est quam ceteræ nominis figuræ[6]). Quam ob causam quum casus dicere solerent "per quos nomina ex prima sui positione inflexa variaretur ac caderent"[7]) dubitatio exorta est, num ipse nominativus casus dici posset, quod quum negaretur ab iis, qui se Peripateticos esse volebant, a Stoi-

---

[6]) Varro VIII. 7. Bekk. l. c. 552 — *τὴν θέσιν τῆς λέξεως ὅτε φαμὲν τὰ εἰς ω λήγοντα ἢ εἰς υξ ἢ εἰς αξ. ἐφ' ὧν τὸ δέον παραλαμβάνεται κατὰ τὰς κλίσεις* id. 861. *λέγεται ἡ εὐθεῖα καὶ ὀνομαστική, καθὸ ὀνομάζειν βουλόμενον ταύτῃ κεχρήμεθα.* Diom. 302 nominativus est positio nominis vel recta nominatio vel declinationis regula. Prisc. I. 185. nominativus dicitur, quod ipse natura primus nascitur vel positione et ab eo facta flexione ceteri casus id. I. 150. vocativus transfert positionem ad secundam personam a tertia. — Ut in nominibus nominativus, sic in verbis prima persona præs. ind. act. aut omnino præs. ind. rectum sive *θέμα* dicebatur Bekk. 893, 4 (*τὸ πρῶτον τοῦ θέματος πρόσωπον*) et formula et caput (Varro, IX. 102. 103: Nam ut illic externi (?) caput rectus casus, sic hic in forma est persona ejus, qui loquitur et tempus præsens, ut *Scribo, lego.* Sed *externi* retineri non potest. Quod quum Müller dicit "non plane sensu cassum esse", hanc sine dubio credit esse sententiam: caput extrinsecus sumptum sive alienæ analogiæ IX. 79 cfr. 103. Sed hoc loco Varro nondum agit, ut doceat, analogiam esse posse, (membra ad rationem convenire (79), etiamsi caput corpori non respondeat: sed tantum observat, primæ personæ præs. eandem esse rationem ad ceteras verbi figuras, quæ nominativo sit ad obliquos casus. Ergo sententia postulat, ut legatur *ceterorum* vel aliquid simile. Vulgata habebat *extremum*).

[7]) *Bekker* 860. *πτῶσις λέγεται ἐπειδὴ ἡ φωνὴ ἀπ' ἄλλου εἰς ἄλλο μεταπίπτει.* Diom. 301 k. Max. Vict. 1930. Putsch.

cis argutius, quam prudentius defendebatur[8]). Nam etsi videntur dicere aliquid, quod docent, nominativum casum esse, *ὅτι πέπτωκεν ἐκ τοῦ ἀσωμάτου καὶ γενικοῦ εἰς τὸ εἰδικὸν*, tamen quum nihil proprii muneris nominativo tribuant, quo fungatur in sententia, nihil afferunt, cur eadem sententia, qua ceteri, appelletur *casus*, sed apparet totam rem in verbi controversia positam esse. Nam si casus omnino sunt diversi exitus conjugatorum verborum, et nominativus et verborum temporalium variæ figuræ recte casus dicuntur: at si casus et commutatio est et nominis propria, et nominativus ipsa nominis sine discrimine positio est, non cadit hæc appellatio in nominativum.

Sed hoc posito analogiæ fundamento facile refellebantur, qui negabant esse analogiam, quod nomina non totidem casus (i. e. declinatus) omnia haberent[9]). Salva enim res erat, modo similem nominativum casus et numero pares et figura similes consequerentur. Nec quidquam grave afferebant, quum quærebant, cur literarum vocabula non declinarentur. Quibus respondetur *A*, *E*, cetera, voce non magis declinari, quam syllabam *ba* et similes et tamen significatione, si quando opus sit, habere declinationem[10]). Ceterum si analogia sit similis commutatio, neque in eo verbo, si cujus exitus plane singularis sit, quærendam esse analogiam[1]), neque omnino declinationem in eo, quod ipsum sit casus, ut nequam nihili[2]). Ac si negant

---

[8]) De hac controversia vid. Prisc. I. 172. 184. Cons. 2033. Bekk. 861. 862. Lersch, l. c. II. 185.

[9]) VIII. 63.

[10]) VIII. 64. IX. 5—52.

[1]) IX. 53. — respondendum sine dubio, si quod est singulare verbum, id non habere analogias. Minimum duo debent esse verba, in quibus sit similitudo. X. 82.

[2]) IX. 54. nihili potest dici patricus casus X. 81. Ex his intelligitur, quanto in hoc genere prudentior fuerit Varro

esse analogiam, quod nonnulla unum tantum numerum aut singularem habeant aut pluralem solum, facilis est responsio, ubi res in natura non sit aut non sit in usu, in ipsum non pervenire verbum[3]), ut plurale *argenti*, quod sub mensuram ac pondera potius succedat, quam sub numerum, aut singularem *bigarum*, *scalarum*, *quadrigarum*. De quibus pluralibus moneo propter Steinthalium, Varronem non dicere, hæc nomina nulla ratione pluralia et figuram contrariam significationi esse[4]). Certe enim hoc dicit *bigas* et *merulas* voce modo proportione similes esse, non etiam re, quod *bigæ* non possit ad singularem *biga* referri, ut merulæ ad suum singularem (merula[5]). At alio loco rationem reddit, cur in *bigæ* non minus, quam in *merulæ*, quamvis illud sit singulare, i. e. unius rei nota, tamen figuræ pluralis sua respondeat significatio. "Singulare" inquit", est, quod natura unum significat, ut equus, aut quod conjuncta quodam modo ad unum usum, ut *bigæ:* itaque ut dicimus una Musa, sic unæ *bigæ*"[6]).

Major proponitur difficultas, quum occurritur ab illis, qui defendunt anomaliam, vel ex similibus rectis casibus obliquos fieri dissimiles vel ex dissimilibus similes[7]). Illius rei exemplum est lupus lupo, lepus lepori. Quo in genere quum dixisset Aristarchus, non ex recto casu tantum-

---

quam posteriores Grammatici, qui omnes uno ore *nihili*, *frugi*, *nequam nugas* nomina indeclinabilia esse narrant, ita ut sint, qui *nequam* per omnes casus, genera, numeros quasi declinent (Probus l. c. 325) et inter terminationes ablativi etiam *m* et *s* numerent propter *nequam* et *nugas*. Char. 147.

[3]) VIII. 48. cicer — non cicera IX. 37. 63. sqq.

[4]) l. c. p. 361. der Kategorie, zu deren Ausdruck die Lautform bestimmt ist.

[5]) X. 66.

[6]) IX. 63.

[7]) VIII. 34. — Quod objiciebant alia rectos modo habere, alia obliquos tantum, VIII. 49., verbis dissimile erat, re idem

modo spectari oportere, quid simile esset, sed assumendum ex obliquis aliquem, responderant Cratetei, id absurde dici, quasi si quis, utrum patres similes essent necne, nisi ex filiis negaret posse judicari[8]). Varro autem ita defendit Aristarchum, ut neget, ideo assumi obliquum, ut "recti simili facie ostendantur", sed ut perspiciatur eorum similitudo quam vim habeat[9]) i. e. ut appareat esse in nominitivis, quamvis lateat, dissimilitudinem[10]). Etenim ut in ceteris rebus, sic in verbis similia dici non a facie, sed etiam a conjuncta vi ac potestate, quæ latere soleat[1]). Itaque et in nomine et in verbo temporali recte a prima positione transiri in alium casum aliamve personam, quo deprehendatur dissimilitudo. Negat igitur nominativum *us*, quem sequatur genetivus *i*, illi similem esse, quem sequatur *oris*[2]). Sed ad ea, quæ ex dissimili capite similia oriantur, alia est petenda defensio. Scilicet ex *prætor prætori prætoris consul con-*

---

sonabat. De nom. Diespiter, dat. Jovi Varro respondet Diespitri casum esse, quamvis non tritus sit in consuetudine IX. 77.

[8]) VIII. 42. 43. IX. 43.

[9]) IX. 43. ut lucerna in tenebris allata non facit, quæ ibi sunt posita, similia, sed, ut videantur quæ sint quæve desint. Cfr. 44.

[10]) IX. 108. in verbis temporalibus, quum similitudo sæpe sit confusa — quæ proposita sunt, non esse similia intelligitur, quum transitum est in secundam personam.

[1]) IX. 39. 94.

[2]) Idem dicendum erat de *lupus lupo* et *manus manui*, sed hi nominativo fortasse etiam Varronis ætate voce distinguebantur, ut nemini in mentem veniret dicere similia esse. Quanquam Varro ipse, quum hæc duo *us* non distingueret, in errorem inductus est V. 82. (a magistro) magistratus ut ab albo albatus etc. In *socer socrus* hos sonos distinguit X. 82.

suli consulis[3]), recte colligi his figuris *i, is* in formula quadam dandi casum et patricum notari. Ergo quum constaret, etiam *Herculi strui, homini coli* dandi casus esse, his, si esset analogia, consentaneum fuisse respondere, nominativos *Hercul*[4]) *strus homon, cols*, sed tamen ex consuetudine dici *Hercules, strues, homo, colis*[5]). — Hæc respondet Varro non ostendere, non esse analogiam, sed obliquos non habere caput ex sua analogia. Ut enim in signo membra Alexandri ad rationem facta sint, etiamsi caput his sit impositum Philippi, sic posse obliquos casus, quanquam ad eum nominativum, qui sit in consuetudine, non conveniant, tamen ad aliquam formulam recte factos esse[6]). Sic fit, ut ex doctrina Varronis caput consequentis declinationis non utique is sit nominativus, qui sit in usu, sed nominativus, qualis ex obliquis casibus recuperetur[7]) i. e. intelligatur esse debere. Etsi enim natura a recto aliquo ad obliquos perveniat, tamen, quum fieri potuerit, ut in rectum illum corruptela invaderet, recte a posterioribus incipi, ut, quale prius fuerit, inde ostendas, ut physici, ab universa natura profecti, quæ sint principia mundi, retro ostendant[8]).

Sed hoc cur non solum possit fieri, sed etiam ratione aliqua fiat, accuratius disserit in decimo libro, qui est de ipsa forma similitudinum. Analogia, inquit, est, quod ex quattuor rebus, quæ ratio inter priores duas[9]) est, eandem alteræ duæ inter se habent. Hoc si ad declina-

---

[3]) X. 28.
[4]) IX. 79.
[5]) IX. 76, 79.
[6]) IX. 80. 103.
[7]) X. 59.
[8]) X. 55.
[9]) X. 37.

tionem nominum transferas, interest plurimi, quod sumas principium analogiæ. Debet enim sumi ea figura, in qua, si nomina similia sint, ceteræ quoque sequantur similes. Quum igitur et rectus sit casus et obliqui, aut a recto ab obliquo aliquo aut ab utroque licet proficisci. Qui a recto proficiscetur, dicet, si sit simile in recto casu *dolus malus*, fore in obliquo *dolo malo*[10]). At hæc ratio falsa fit, si pro malus substitueris *olus*. Atque hoc ideo maxime fit, ut rectorum casuum similitudinem non sequantur obliqui casus, quod nominativus est casus impositicius, impositio autem voluntaria est et in singulorum potestate posita, ceteri vero casus sive declinandi formulæ naturales[1]).

Ex quo efficitur non solum ut nominativus nonnunquam ambiguus sit, sed etiam ut facilius, quam ceteri, corrumpatur. Ergo in naturalibus casibus potius ponendum est principium, ut "lubido humana a natura corrigatur". Qui igitur naturam sequetur, dicet, si simile sit Marco Quinto, fore ut sit Marcum Quintum[2]).

---

[10]) X. 51.

[1]) Impositio est in nostro dominatu, nos in naturæ (i. e. in populi IX. 6. i. e. in sermonis). X. 53. 60. — "peccatum magis cadere posse in impositiones (eas?), quæ fiunt plerumque in rectis casibus singularibus, quod homines imperiti et dispersi vocabula rebus imponunt, quocunque eos libido invitavit; natura in corrupta plerumque est suapte sponte nisi qui eam usu inscio depravabit" 61.

[2]) X. 51.

[3]) VIII. 16. Varro quinque casus numerare videtur. Sed observandum est, hoc loco non tam de Latina lingua dici quam de omni vel potius utraque (et Græca et Latina). Erat, credo, injecta quæstio — id quod nostra etiam ætate factum est — quot casus ex natura sermonis necessarii essent. Qua in dubitatione, quum alii Græcæ linguæ regulam sequerentur, alii Latinæ, Varro: "sine controversia, inquit, sunt quinque" i. e. de his quinque nulla est controversia, sed num possint et plures esse.

Nam "si quis ab uno casu singulari proficisci volet, id illum facere oportebit ex sexto[3]) casu, qui est proprius Latinus: nam ejus casus literarum dicriminibus facilius reliquorum varietatem discernere poterit, quod ii habent exitus aut in *A* ut hac terra ,aut in *E* ut hac lance, aut in J ut hoc levi aut in *O* ut hoc coelo, aut in *U*, ut hoc versu[4]): igitur ad demonstrandas declinationes biceps una hæc"[5]). At si pro *Marco* et *Quinto civi* et *mari* sumpseris, hos ablativos similes non sequentur accusandi casus. Ergo rectius utrumque sequaris et impositionem et naturam sive declinationem, ita ut principium sumas similitudinem, quæ sit in transitu ex recto casu — et quidem potius, quam singulari, plurali, qui quodam modo et impositicius est et declinatus — in obliquum aliquem. Hanc qui sequetur,

---

[4]) X. 62. Hac ablativi regula utuntur *Donatus*, (1750 Putsch;) *Servius* (1783), Max. Victorinus 1939, *Probus* Anal. Gramm. edd. Eichenf. et Endl. 334, 5, ita ut ab hoc casu genitivum plur. et dat. deducant. Cur non amplius progrediantur, causa in aperto est, quod in his casibus generum nulla fere sunt discrimina. Charis. 148 K sqq. omnem pluralem ex abl. sing. deducit, sed assumpto generis discrimine, — Ceterum apparet, Varronem quinque formulas declinandi — sive, ut nostri ajunt, declinationes — constituere, ita ut nostra tertia in duas dividatur, quinta (Abl. $\overline{e}$) desit. Atque Charisius (p. 31) testis est, hanc formulam serius aut observatam aut a ceteris separatam fuisse.

[5]) De his, quæ apparet corrupta esse, Muelleri conjectura *vice prima hæc* vel ideo ferri non potest, quod pronomen femininum *hæc* non habet, quo referatur. Ac certe desideratur prædicatum aliquid, ad quod accommodetur præpositio *ad*. Forsitan fuerit hoc prædicatum *index* (ut IX. 109. ibi potius index analogiæ), ita ut Varro scripserit: *ibi index analogiæ*, vel *index analogiæ hic*, vel aliquid simile. Neque enim lectionem emendare, sed ex continenti oratione sententiam elicere volui.

dicet, si similis sit transitus in servus serve et cervus cerve, fore ut item sit in servus servo et cervus cervo[6]).

Jam vero si quærimus, quid sit, cur Varro non in solis obliquis casibus, sed in transitu ex recto in obliquos principium ponat analogiæ, hanc invenimus causam, quod in recto *generis* maxime sit expressa significatio. Non igitur voce tantum i. e. exitu debere similia esse, quæ conferantur, sed esse etiam rei quædam dissimilitudinem assumendam, si ex instituto sermonis dissimilia figuris dissimilibus notentur. Qua in causa quum sit non ætatis aut nationis dissimilitudo, sed generis, injuria dici ab altera parte, hujus dissimilitudinis non magis, quam illarum rationem esse habendam[7]).

---

[6]) Quum legatur X. 51: "Qui utrumque sequetur, dicet, si sit simile, transitus ut est in servos serve, fore ut item sit in cervos cerve", Varro aut scripsit aut debuit scribere: si sit simile, transitus ut est in servo cervo (i. e. ex *servus* in *servo*) et ex cervus in servo, fore ut item sit in *serve cerve* (ex servus in serve et ex cervus in cerve). Nam ita fit, id quod postulat (53), ut "reliquæ declinationes ex ejusmodi transitibus reperiantur". Ista vero analogia, cervos: cerve = servus: serve ejusdem generis est, cujus illa (51) (ex imposito ad declinatum): dolus: malus dolo: malo. Atque etiam hæc res eo confirmatur = quod tertium genus analogiæ, etiamsi" quadripartita comprehenditur forma, quia bina ad singula conferuntur" (cervus cervo: cerve = servus servo: serve), tamen sex partes sive membra habere debet (cervus: servus = cervo: servo = cervo: servo). X. 49. Cfr. 52: Quocirca etiam hoc tertium potest bifariam divisum tertium et quartum dici, quod in eo vel prosus vel rosus potest dici.

[7]) IX. 42. Quare nihil est, quod dicunt Theona et Diona non esse similes, si alter est Aethiops alter Gallus, si analogia rerum dissimilitudines assumat ad discernendum vocis figuras". h. e. illi non intelligunt, non omnem dissimilitudinem assumendam esse, si quæ sit ab ipso sermone assumpta.

Quæ sunt igitur hæc genera et qua constantia notantur in sermone? Nomina, inquit Varro, duplicem habent declinatnum ordinem, unum quo distinguuntur casus, alterum quo notantur (naturæ quædam discrimina, i. e.) utrum quid virile sit, an muliebre, an neutrum [8]). In hoc ordine quum dixerunt illi, qui anomaliam defendebant. non esse analogiam, quod quædam nomina ternas formas haberent, ut humanus humana humanum, quædam binas, ut cervus cerva, quædam singulas, ut aper [9]), Varro, quid

---

VIII. 40 quum scriptum sit in codd.: "sed quod nonnunquam in re dissimili dissimiles figuræ formas, indissimiles imponunt dispariles" crediderim potius commutandum esse: "in re dissimili dissimiles f. f., in re simili imponunt *pariles*, quam cum Muellero "in re dissimili similes — in re simili — dispariles. Non enim Varro docet, generis dissimilitudinem assumendam esse, quod nonnunquam figuræ non respondeat significatio, sed quod nonnunquam respondeat i. e. quod institutum sit, ut quemadmodum tunicæ et calcei, sic nomina virorum et mulierum figuris dissimilia essent. — ("calcei muliebres sint an viriles dicimus ad similitudinem figuræ, quum tamen sciamus nonnunquam et mulierem habere calceos viriles et virum muliebres") Cfr. X. 27.

[8]) X. 22. "Ordines bini (i. e. in singulari numero duo in plurali item duo), uni transversi, alteri derecti, ut in tabula solet, in qua latrunculis luditur (Cfr. 43. 44). Transversi sunt, qui a recto casu obliqui declinantur, derecti, qui e recto casu in rectos declinantur. (Cfr. VIII. 7. putant mares voluisse notari, ut ex his feminæ declinarentur) Transversorum ordinum partes appellantur casus, derectorum genera, utrisque inter se implicatis forma". -- (Ex quibus satis intelligitur. quam perverse, "transversam declinationem" Reissigius sit interpretatus p. 154). — Genera dicit *sexus* VIII. 46. *species* X. 21.

[9]) VIII. 47.

omnino mobile[10]) sit, ut solet, accurate magis ,quam subtiliter disserit. Non esse locum motioni — si ipsa natura non possit transire[1]) i. e. si notio nominis certo genere naturæ contineatur, aut non in usu sit discriminare i. e. notare discrimina naturæ. In illa causa esse vel singulorum hominum propria nomina[2]), vel ipsorum sexuum vocabula vel denique earum rerum, quæ careant sexu[3]).

Contra nomina, quibus aut gentilitas notetur aut classes animalium, ex parte mobilia esse, quia natura i. e. notio virilis et feminini generis communis sit, sed etiam ex parte fixa, quia eadem notio neutrum genus excludat[4]). At per omnia genera ea solum nomina transire sive moveri posse, quorum notiones nullum naturæ dis-

---

[10]) Hoc vocabulo Varro non utitur; apud Grammaticos satis pervagatum est: — Præterea et apud Græcos *κινεῖσθαι κινεῖν κίνησιν* non aliud significat, quam declinationem quandam (Bekk. 911, 912, 932), et apud Varronem X. 26 "commoveri, moveri" idem est quod commutari (25). "Motionis" vocabulum invenerunt recentiores.

[1]) IX. 37, 38. 55 sqq.

[2]) Dei et servi nomina non transeunt, — quod gentilicia natura non subest in usu. IX. 59.

[3]) l. c. 57,

[4]) IX. 59. "Mas et femina habent inter se natura quandam societatem — contra nullam — neutra cum his". — Quantopere antiqui grammatici ad sui quisque populi morem accommodaverint ea, quæ de sermonis natura statuerent, ex hoc apparet, quod quum Varro sæpe utatur gentiliciis nominibus, quo ostendat esse in generibus analogiam, Græci grammatici docuerunt: *τὰ κύρια μὴ ἔχειν θηλυκά, τὰ προσηγορικὰ δὲ* Bekk. 842. Sed magis etiam memorabile est, posteriores Latinos grammaticos adeo Romani moris oblitos esse, ut Græcorum placita temere repeterent. Ut Priscianus 418: propria non sunt naturaliter mobilia, sed ex sese nascuntur (ut Tullius Tullia), sicut etiam supra dicta appellativorum femi-

crimen excludant. Quum autem in natura nulla res aut classis rerum sit, quæ et sexus habeat et careat sexu, fit, ut omnis generis ea sint nomina, quibus non certæ res aut species rerum notentur, sed quæ cuivis rei attribui possint.

Hoc igitur doceat, si sibi velit constare, adjectiva vi sua mobilia esse[5]) — nam si certo genere circumscriberentur, non essent amplius adjectiva — substantiva aut in uno genere fixa aut masculini et feminini communia. Ex quo fit, ut non tam una divisio sit trium partium, quam duplex divisio, quum primum omnis natura in duas partes dividatur, unam quæ habeat sexum, alteram quæ non habeat, deinde ea, quæ habeat, in masculina et feminina.

Hoc autem loco occurritur ab altera parte, non esse in hac re constantiam, quod ea, quæ natura virilis generis sint, figura muliebri nominentur, ut Perperna, et, quæ sexu carent, figura virili aut muliebri ut quum paries dicatur *hic* et abies *hæc*[6]). Sin autem genera nominum naturæ discrimina exprimerent, debuisse fieri, ut omnes mares *hi*, omnes feminæ *hæ*, omnia neutra *hæc*

---

nina libra (våg) (fibra) (fiber) non sunt a masculinis nata, sed a se orta, quamvis similem mobilibus habeant formam. Cfr. 142. ubi docet *natus* et *nata* et significatione mobilia esse et voce, *pater mater* significatione tantum (ut fero habet, perfectum tuli 418), *Tullius Tullia* voce tantum. Cfr. Diom. 328. Melius Consent. 2027. — Steinthal, oblivione dicam, an alia causa nescio, (l. c. 357) *libra* in libera (liber und libera, Sohn u. Tochter) mutat et *fibra* interpretatur Biber-Weibchen: tum irridet Priscianum, quod non intellexerit, filium filiam non magis, quam fibrum, fibram mobilia esse, sed quasi mobilia.

[5]) IX. 53. Sed vides, quas ineptias proferat de "cubiculo surdo" et. cet.

[6]) IX. 41.

dicerentur[7]). Hanc difficultatem Varro, ut pæne par est, vitat potius quam solvit, quum dicit, genere similia esse, non quæ similes res significent, sed quæ sint ea forma, quæ ex instituto similes res significare soleat[8]). — Ita hæc res discrimina naturæ non exprimit, sed imitatur quodam modo, ita ut sermo, non ex lege naturæ, sed suo more aut ingenio divisionem instituat. — Singulos vero qui sermone utantur, non ex rei natura, cujus generis quodque nomen sit, cognoscere, sed ex usu sermonis, qui vel in ipsius rei nomine vel maxime in attributo cernatur[9]). Quid autem secutus sermo hanc ordinaverit divisionem, quæ neque naturæ habeat necessitatem nec perspicuitatem artis, Varro non judicat. Quanquam quum etiam ex antiquis alii statuerent artem quandam "ea quæ naturâ neutra essent, cui voluerit, generi ascripsisse"[10]), alii autem subtilius suspicarentur, iis quæ na-

---

[7]) ut similes exitus haberent, quæ ejusdem essent divisionis (*καταλήξεις ἀναλόγους* Bekk. Anecd. 910).

[8]) X. 27.

[9]) Ea virilia dicimus, non quæ virum significant, sed, quibus proponimus *hic* et *hi* et. cet. IX.41.

[10]) *Consentius*, Gramm. Lat. Edd. Putsch. 2024. Ex recentioribus hanc sententiam secuti sunt *Vossius*, *Ruddimannus*, *Perizonius* (ad *Sanctii* Minervam p. 51.) et hic quidem, quum postremum nominavi, ita ut in quæsita convenientia adjectivi et substantivi causam poneret, cur omnino omnia nomina primum in duas classes distribuerentur. Quam sententiam ne Wolfius quidem prorsus aspernatur (p. 85. Man war das Genus einzuführen genöthigt wegen der Beziehungen), K. F. Becker etiam studiose defendit, dicens, genera primum in adjectivis notari coepta esse, quo hæc res ipsius attributionis signumesset; mox quum multa adjectiva in usum substantivorum abiissent, (e. gr. filia), factum esse, ut cetera substantiva, cujus quidque figura simile esset, ejus genus assumeret, (e. gr. planta). At dempto eo, quo genus notatur, quî filiæ

tura sexu carerent, masculinum aut femininum genus tributum fuisse, quod in iis aliquid masculinæ aut femininæ naturæ simile esse videretur, Varronem videmus non omnino ab hac ratione abhorruisse.

Sed ut ad illud veniamus, quod rem continet, quum quæritur, *quomodo* generum discrimina notentur, de hac re pauca omnino inveniuntur apud Varronem. Quem certe consentaneum fuit motionem ad naturalem potius, quam ad voluntariam declinationem referre, vel ob hanc causam, quod non cuivis masculinæ figuræ quævis feminina aut neutralis respondeat, sed sua cuique et propria[2]). Certe hic quoque præcipit ut exitu rectæ formæ i. e. masculinæ similia sint, quæ conferantur. Nam si non in

---

planta similius est, quam filio?. — Et tamen etiam Becker quasi imprudens interdum ad alteram sententiam defertur. Deutsche Gramm. I. 265. Organism. d. Sprache p. 92.

[2]) Leo Magent: in scholiis ad Arist. Edd. Acad. Boruss. p. 102. Varro V. 61. Ex recentioribus hanc partem tuentur *Harris*, Hermes p. 44. sqq. *Wolf* l. c. p. 84. sqq. (sed cfr. 2) *Bernhardi*, l. c. p. 129. *Madvig*, om Kjönnet p. 115, *Pott*, Allgem. Encykl. Geschlecht p. 400.: "Der Sachgrund des Geschlechtes kann nur in der begrifflichen, wenn auch immer ab und an willkührlichen, selbst, ich will es zugeben, verfehlten Vorstellung der Sache stecken Cfr. 447. Atque inter hos etiam *Schmidtium* numerare possis (Beiträge zur Geschichte d. Gramm. 265 ff.) nam etiam hic, cur *femina* et *terra* ejusdem generis sint, eam causam ponit, quod similes cogitentur p. 269. Sed quod dicit, inepte statui, in generibus quidquam inesse, quod ad sexuum diversitatem pertineat, ea ratio ita solum inepta est, si cum Latinis Grammaticis dicas, "genera dicta esse, quod generarent", quasi aut genus per se aliud significet, quam classem quandam a natura constitutam, aut si quis dissimilitudinem sexuum in omni vita latissime patentem cogitet, ejus menti diversæ partes generandi ("die Verschiedenheit des Antheiles an der Zeugung") utique obversentur necesse sit.

omnibus teneri possit, ut ex maribus feminina et neutra declinentur, causam non solum eam esse, "quod non omne nomen natura aut usu per tria genera transeat", sed maxime quod "non omnis figura ea sit, quæ ex se declinata certum genus prodere possit"[3]). Ita enim esse rem comparatam, ut, si ex positione masculina sit in genitivum *i* transitus, huic respondeat feminina in *a* et neutra in *um*, si masculina habeat *is*, huic feminina similis sit, neutra in *e* terminetur, sin vero alia quædam sit masculina positio, omnia genera similia sint[4]).

Hæc fere est Varronis de analogia doctrina. Quæ quanquam plenam rei grammaticæ expositionem non habet, tamen, si ipsa artis forma spectatur, non multum credo

---

[2]) De declinatione generum naturali et voluntaria locus est (IX. 62), sed aut corruptus aut obscurus adeo ut legi vix possit. Crediderim Varronem voluntariam declinationem eam intellexisse, quæ fiat productione i. e. suffixo, quam quæ habent nomina Grammatici nec in totum fixa neque in totum mobilia appellarunt, ut sunt *rex regina*. Cfr. *Cledonium*, 1894. "mobile non est, quia non facit *rega*" *Consentius* 20. 26. transeunt quidem in aliud genus, sed sunt alia inclinatione quam servent formam illius generis, a quo transeunt, ut gallus gallina et cet. Cfr. Prisc. II, 478. — Recentiorum doctrina non alia est: nam hi quoque veram motionem in affectione quadam ejusdem thematis ponunt. *Schleicher*, Compend. d. vergl. Gramm. II. 419.

[3]) VIII. 7. IX. 37.

[4]) Quum ab altera parte objectum esset, dici "sapientissimus vir et femina sapiens" VIII. 78) Varro in iis, quæ restant, ad hoc non directo respondit: sed tamen IX. 110., quum defendit, analogiam esse in participiis, hæc dicit: p. in suo quidque genere habet casus *amatus* amati amata amatæ, amans paullo aliter, quod hoc genus (? talia, qualia amans et pauper? nam id quoque objicitur VIII. 27) omnia sunt in suo genere (?) similia proportione, sic (si quidem?) virilia et muliebria sunt eadem.

abesse eorum, quæ ab antiquis inventa sint et instituta. Nunc ad recentiorum vias et rationes veniamus, quoniam in hoc ipso loco, quo consistimus, divortium est antiquæ artis grammaticæ et recentioris.

Vertitur enim hæc dissimilitudo in ipso nominativo, causa autem nominativi a *genere* sejungi non potest. Primum enim hoc animadvertimus, ea nomina, quæ, ut loquebantur antiqui, positione feminina sint, omni declinatione a ceteris differre, ceteras vero declinandi formulas ita aut masculini et neutrius (secundam), aut omnis generis communes esse (tertiam et quartam), ut in uno nominandi casu generum sit discrimen aliquod. Deinde quum videas, nominativum neutrius generis semper accusativo similem esse, masculini autem et communis generis nominativum *s* assumere, recte concludas, hanc literam *s* ita comparatam esse, ut subjectum sententiæ significet, si ejusmodi sit aut cogitetur, ut possit sexum habere i. e. si sit animata natura[5]). Ex hac observatione nascuntur duæ. Primum si in *altus* et *levis* eadem sit generis significatio, efficitur, ut revera utraque figura sit communis generis, sed ut illa masculina facta sit, quod ei respondeat feminina in *a*. Ex quo apparet, præter figuras femininas[6]) sermonem nihil tanquam consilio reperisse, quo

---

[5]) *Madvig*, om Kjönnet p. 144. — En Udhævelse af Subjectet i Almindelighed som subject — men kun ved Substantivforestillinger af en vis Klasse, nemlig af det Levendes. — Nominativum *subjectivum* dici voluerunt *Wolf*, l. c. 119. et *Ek* de Formis casuum Latinorum, p. 8. 9, sed hic etiam ratione addita, quod "primus casus non magis nominet, quam ceterorum quivis, sed in situ et loco rei, qua omnis nitatur enuntiatio et qua sublata hæc etiam tollatur, exponendo omnis hujus casus vis posita sit".

[6]) *Pott*, l. c. *Madvig*, l. c. p. 118. — Neutrum genus Latinorum jamdudum cognitum est iis maxime contineri,

sexus discrimen notaret. Sed alterum gravius est. Si enim nominativus in *s* subjecti signum habet, apparet hunc primum casum non semper esse ipsam positionem nominis, non quod corruptus sit, sed quod discrimen habeat. Atque hac parte recentiores ab antiquis maxime differunt. Illi enim tantummodo ex singulis quibusdam casibus formulam sive regulam constituere studebant, ad quam omnem cujusque nominis commutationem accommodarent. At hi flexionem nominum non commutatione impositi, sed discriminum (relationum) notis ad id, quod

---

quæ non certa aut finita forma oculis mentive obversari possint nec per se agere aut vivere cogitentur, sed aut massam quandam, ut lac, aurum, aut locum infinitum (mare, coelum forum, i. e. quod foris est) aut summam rerum habeant. In *vulgus* significatio figuram vicit, ita ut in masculina positione neutrum fieret: *Sale* et *pane* (vid. lex.) significatio ad neutralem positionem traducere certe conata est. Eodem pertinet, quod ea, quæ in ipsis rerum generibus ponuntur (vas, tempus animal, telum), neutra sunt, quæ autem species notant, masculina aut feminina (pelvis, annus, gladius); quod arbores femininæ sunt, turba autem minorum plantarum neutralis (eadem ratione, qua lignum, ferrum). Sed hæc certissima observatio est, ex vocabulis earum rerum, quæ aut hominum opera parentur aut certe vitæ humanæ et maxime domesticæ usibus inserviant, antiquiora et quorum originem ex verbis Latinis ducere non possis, feminina aut masculina esse (casa, villa, porticus, curia — urna, guttus — toga, vestis, calceus — currus, culter, securis) — recentiora vero, quæ ex verbis Latinis fingantur, omnia fere neutra (cubiculum, senaculum — urnarium — intusium, vestimentum — plaustrum, malluvium et cet.) Videntur igitur antiquiores magis *τὰ σκεύη* — hæc enim prima fuit (apud Protagoram) neutrorum appellatio — ita tanquam ministros quosdam aut socios vitæ nominasse, nisi forte Perizonii (l. c. p. 51) et Bernhardii (l. c. p. 131) sententiam sequi malis, *omne* neutrum posterioris ætatis esse.

positum esset sine discrimine, adjungendis effectam statuunt[7]), et, ex quibus partibus juncta sit cujusque figuræ compages, in has eam resolvere conantur, ita ut utraque pars per se tanquam libera et integra habeatur. Hæc quasi resolutio quum non esset apud antiquos, ne vocabulum quidem, si res subtilius spectatur, habuerunt, quo eam, quam nostri stirpem[8]) sive thema appellant, notarent et in eodem verbo a terminationibus distinguerent, Nam quum positio apud illos sit, ex qua fiat flexio sive inclinatio, ita cogitatur, ut non sit stirps verbi, sed aliqua verbi forma. Ex quo fit, ut idem vocabulum sit et verbi, ex quo fingatur verbum, et ejus, ex quo verbum in sua transeat discrimina. Quanquam Varronem quidem videmus non uno loco ipsius rei necessitate ad hanc distinctionem deferri. Nam ut illum locum prætermittam, ubi materiam verbi et figuram distinguit[9]), alio loco, quum in figuris infecti temporis principium idem esse dicit (pungo, pungebam, pungam) rursus in perfectis nonnunquam aliud sed semper totius divisionis commune, si sibi constare velit, nimirum principia dicat *pung* et *pupug*, i. e. non certam figuram, quæ per se in oratione usurpetur, sed id quod utriusque divisionis commune sit[10]). Priscianus et Græcus quidam

---

[7]) Agglutination er Flexionens moder. Madvig. l. c. Cfr. om de grammatiske Betegnelsers Tilblivelse og Væsen p. 39 ff.

[8]) Varro VIII. 4.

[9]) X. 11.

[10]) IX. 99. 9. — IX. 96. postquam Varro dixit, "quod aiunt analogias non servari in temporibus, cum dicant lēgi lĕgo, lĕgam — injuria reprehendunt. Nam (hæc non sunt ejusdem divisionis, at) ex eodem genere et ex divisione idem verbum, quod sumptum est, per tempora traduci potest, disco, discebam, discam, — *didici*, *didiceram*, didicero" — non potuit ita concludere: "Ex quo licet scire verborum rationem constare, sed eos qui trium temporum verba

grammaticus, quum docent, pronomina et personas et casus habere, illas in principiis (ἐν τῇ ἀρχῇ), hos in finibus sive in terminationibus (ἐν τῷ τέλει), eandem, quam nostri distinctionem statuisse videantur[1]), et quidem Græcus ille etiam magis, qui externam quandam declinationem (ἡ ἔξωθεν κλίσις) et internam (ἡ ἔσωθεν) distinguat. Quis non credat hanc dici, si quomodo ipsa stirps afficiatur "ita ut fiat mentis transitus", eadem ratione, qua Varro dicit declinationem etiam in medio verbo fieri, ut in lāgi: neque enim potest dubitari, quin hac productione literæ *e* temporis perfecti divisionem notari viderit. Sed tamen etiam his locis satis apparet principium et finem ex situ magis quam ex vi appellari, et ad universam doctrinam antiquorum res non pertinet, quippe in qua positio sive thema nominativus dicatur et prima persona præs. ind.[2]) i. e. consummata forma, quæ per se pars

---

pronuntiare vel*int*, *scienter* id facere, sed aut *inscienter* (Cfr. X. 47: perperam in tribus temporibus hæc verba dicunt, quum proportione volunt pronuntiare) aut *facere debere.*

[1]) *Bekker*, Anecd. 911. 912. Prisc. II. 140. 5. 18. 25. (terminatio *obtinet partes orationis.*) 141. 7 146. 25. 147. 6. terminatio I. 169 bis = exitus positionis) 199 = casus. τέλος grammatice Bekk. 1248, 1253.

[2]) Quibus argumentis id docuerint, cernitur apud Prisc. I. 422. Ac quod dubitaverunt nonnulli (Bekker 1274), an infinitivus (ὁ ἀπαρέμφατος) primus modus sive principium verbi dicendum esset, quod inde orerentur et in eum resolverentur ceteri modi, ea dubitatio ad ipsas formulas non pertinuit. Sed illa ipsa ratio perversa est, si ita intelligitur, ut est apud Priscianum, infinitivum personis et modis assumptis finitum verbum fieri; nam si ex finito verbo tollitur persona, non infinitivus exsistit, sed verbum impersonale, quod vocabulum falso Priscianus et Sanctius (p. 98) infinitivo dederunt. Sed eodem modo errant recentiorum aliqui, qui de radice, verbi et nominis communi materia, ita loquuntur, quasi ea sit

orationis sit, non communis quædam verbi materia, quæ revera non flectatur aut commutetur, sed casibus et personis et ceteris, quæ sunt ejus generis, ita ut postulet quisque locus sententiæ, instruatur.

Hæc enim descriptio est ejus, quod nostri thema (Grundform, Ordstam) appellant [3]), quod etsi nonnunquam quasi nudum sit in nominativo [4]), tamen non magis ex hoc casu, quam ex ceteris sit exquirendum. Positionem dicimus eum nominis formandi gradum, quo fingitur thema (stambildning). Aliter autem spectantur themata, quum distinguuntur nomina derivata et primitiva et diversa suffixorum genera: aliter quum quæritur, quibus omnino modis themata nominum exeant et quomodo sit hæc res et cum declinandi diversitate et cum *generis* significatione conjuncta. Ad hanc quæstionem quantum poterimus et tempus patietur — sed quæ scribuntur in tempus, ante tempus absolvuntur: — reliquam partem libelli accommodabimus, non quo eam speremus a nobis solvi posse, sed si aliquid ad eam illustrandam conferre poterimus, operam non omnino periisse putabimus. Ac primum de communibus thematis, tum de femininis disputemus.

---

infinitivus aut substantivum abstractum. (Düntzer l. c. p. 19 et Wüllner. Ueber Urspr. und Urbed. d. Sprachl. formen p. 173). Scilicet radix nusquam est, nisi in verbo (ord) aliquo: sed infinitivus tantum abest ut verbo temporali et nomine prior sit, ut sit ex utroque conflatus.

[3]) *Meyer*, Gedrängte Vergleichung der Griech. u. Lat. Declin. p. 3. Wortgrundform nennen wir das Wort an und für sich ohne alle satzliche Beziehung und daher ohne jedes äussere Zeichen dieser Beziehung, ohne jedes Casuszeichen. Cfr. Schleicher l. c. p. 288.

[4]) "Casum absolutum" vocativum potius, quam nominativum appellari voluit Ek l. c. "quod nihil habeat cum enuntiatione commune": idem fere *Schleicher* l. c. 414.

II. a.

Ut igitur antiqui, si similis esset exitus, declinationem similem esse dixerunt, sic recentiores postulant quodammodo, ut demonstretur declinatio omnium nominum una eademque esse, discrimina autem ex diverso exitu thematis oriri [5]). Nam quum themata fere in vocales desinerent, factum esse, ut hæ cum casuum elementis suo quæque modo coalescerent, ita ut nec in ipsa sermonis consuetudine, utra pars thematis, utra casus esset, sentiretur amplius, nec jam, nisi diversis vel casibus vel declinandi formulis inter se comparatis, arte possint secerni.

Itaque, ut a primo casu proficiscamur, quoniam omnis nominativus masculinorum aut in *os* (us, i) aut in *us*, aut in *is*, aut in *s* antecedenti consona aut in eam consonam, quam ex obliquis casibus apparet ipsius stirpis [6]) partem esse, desinit — quum hæc ita sint, dicamus, quattuor omnino esse thematum exitus, qui quidem omnis generis communes sint, unum in *o*, alterum in u, tertium in i (e), quartum, qui consona terminetur. Ex his quattuor ordinibus tres priores masculinum genus a neutro in nominativo et accusativo distinguere possunt (um, u, e), quartus in nominativo sing. non potest, sed *s*, etiam si casualis sit, in neutrum transfert.

Deinde si obliquos casus adhibemus, in secundo ordine i. e. in quarta declinatione nihil est, quod nominativo

---

[5]) Si in re fere communi auctoribus opus est, nominem Struvium, Ueber die Lat. Decl. u. Conjug. Ek. l. c. *Græfium*, Abhandl. d. Petersb. Akad. VI. Série. Tom. VI. et ex iis, qui in comparatione linguarum versantur, Schleicherum l. c. p. 420.

[6]) *Stirpem* dicimus omnem partem nominis (et radicem et id, quod ad nominis positionem pertinet), quæ non sit casualis, *thema* eandem rem, sed quum spectetur *exitus*. Stirpem opponit declinatis Varro VIII. 4.

repugnet, quod in omni declinatione *u* servetur. Neque de primo dubitari posse, quin thema in *o* desinat, docet et Græcorum cognata lingua et ex prisca Latinitate servata exempla, qualia sunt *oloes* (illis Fest.) *populoe* (populi). De tertio et quarto magna est dubitatio, quod hi magnam partem declinationis prorsus similem habent, (Gen. sing. is, Dat. ī, nom. pl. ēs), et in reliqua parte vel ex similibus dissimilia fiunt (canis canum, facilis facilium) vel ex dissimilibus similia, ut arx arcium, similis similium et quæ sunt ejusdem generis.

Apud ipsos antiquos non defuerunt, qui in hoc genere, quæ in sermone non esset constantia, eam ita restituere auderent, ut omni nominativo *is* ablativum sing. *i*, gen. plur. *ium* redderent, contra, ubicunque in nominativo non esset *i*, abl. in *e*, gen. plur. in *um* desinere juberent. Ut est apud Charisium [7]), Cæsarem in analogicis contra consuetudinem *partum* posuisse, quoniam *ab hac parte* faciat, contra *panium*, pro quo Verrius *panum* detracta i dicendum judicaverit. Atque Cæsar ut hoc loco ad regulam ablativi genitivum pluralis numeri exegisse, sic ex alio loco Charisii ablativum sing. ad nominativum retulisse reperitur. Nam quum [8]) post lacunam hæc legantur: "hoc enim modo et ab hoc cani dicemus et ab hoc *juveni pani* "et in iis, quæ antecedunt, sine dubio de Cæsare et "parisyllabis" mentio fiat, apparet, Cæsarem scivisse, [9]) ut, quæcunque in nominativo *is* haberent, iis in ablativo i redderetur, hanc autem legem a Plinio usitatissimi cujusque nominis exemplo improbari. Sed eandem regulam simpliciter tradit ipse Charisius [10]): "Avi, inquit, et puppi, quoniam genitivus similis est nominativo et idcirco non

---

[7]) p. 141.

[8]) l. c. 123 init.

[9]) p. 222. 15 Cfr. 119. 5.

[10]) 120.

potest ad supra dictam regulam pertinere. Illa vero regula ejusmodi est: "quæcunque nomina genitivo singulari *is* syllaba finiuntur, exceptis his, quæ similiter faciunt nominativo, oportet ablativo singulari *e* litera terminari, a prudent*e*, ab homin*e*, quod si adjicias aliquid, ut ait idem Plinius, per i debet dici, a prudenti consilio." At non solum in proxima parte disputationis eadem regula ad *agile* transfertur, sed ipsam Plinii auctoritatem adhibet Charisius, ut doceat *ædile* dici, non *ædili*. Quæ quam inter se pugnènt, quivis videt, neque dubium est, quin Charisius discerptas quasdam sententias ex libro Plinii colligat, qua autem ratione hæ a Plinio conciliatæ sint, non referat aut curet referre. Idem Charisius hæc habet alio loco: [1]) "Orb*i*", inquit, "frequenter antiquos ita locutos esse, Plinius eodem libro VI notat: quanquam *consuetudo* melior, (sc. ea est), quæ faciat *ex orbe*, non sine *ratione* (sc. antiquos locutos esse), quam sub nomine ruris diximus. Iam vero sub nomine rur*is*, commemorato auctore Plinio [2]), hæc "*finitio*" datur a Charisio: "quæcunque nomina genitivo sing. in *is* venerint, ablativo sing. in *e* venire". At hoc certe Plinius non potuit dicere, nisi — id quod cogitari nequit — omnem ablativi in *i* exitum damnare voluerit. Quem apparet ex iis, quæ ad *mugil* [3]), quamvis culpa Grammatici confusa ac temeraria, referuntur, nominativum et abl. sing. tanta societate inter se conjuncta putasse, ut, si altèr lateret aut esset dubius, ex altero posset recuperari. Quæ quum ita sint, crediderim, ea, quæ sub nomine ruris legantur, a Plinio de imparisyllabis tantum tradita fuisse, de parisyllabis autem docuisse eundem, rationem quidem poscere illud, quod vellet Cæsar, ut *i* haberent, sed utramque legem illa adjectivorum et substantivorum obser-

---

[1]) p. 139.

[2]) 142. Cfr. 61.

[3]) p. 136.

vatione infringi. [4]) Eodem modo dixerunt ii, qui ad analogiam referebant omnia, accusativum plur. parisyllaborum in *eis* vel *is*, ceterorum in es desinere [5]).

Sed iisdem temporibus alii erant, quibus non videretur, ne natura quidem, tam certum discrimen esse illorum, quæ in nominativo *is* haberent et horum, quorum genetivus una syllaba productior esset, quam nominativus. Inter quos fuit ille ipse Varro, qui libri IX: § 76 legenti videbitur literam *i*, ubicunque ante *s* nominativi interveniret, præter naturam verbi additam existimasse, quod, nisi id fieret, "nominativus difficulter efferretur ore" [6]), Neque dubium est, quid fuerit, quod Varro ita judicaret. Nimirum quum parum verisimile videretur, primum casum et patricum natura similiter fingi, literam i non "secundum naturam verbi" sed propter pronuntiandi commoditatem interponi in nominativo statuit [7]). Itaque Varro quum omnino analogiam defenderet, in hac formula ad anomaliam inclinasse videtur nec statuisse discerni posse, quibus nominativis abl. *i*, gen. *ium*, accus. *eis*,

---

[4]) Char. p. 89. (de parisyllabis) horum ablativus dupliciter effertur et per i et per e ("idem Varro VIII. 66.), sed communia tantum per *i*". Hanc tanquam mediam sententiam Plinius dixisse videatur, ita ut quæ substantiva adjectivis similia essent, hæc constanter vocali *e* efferri vellet. Nam Charisius quidem quam parum sibi constet, videas p. 126.

[5]) Char. 129. 137.

[6]) Secundam naturam nominandi est cols, secundum consuetudinem colis, cum utrumque conveniat ad analogiam, quod et id quod in consuetudine non est, cujusmodi debeat esse, appareat et quod est in consuetudine nunc in recto casu, eadem est analogia ac pleraque, quæ ex multitudine quum transeunt in singulare (cfr. x- 57) difficulter efferuntur ore.

[7]) Sic quum transiretur ex eo, quod dicebatur hæ oves, una non est dicta ous, sed addita I ac factum ambiguum verbum; nominandi an patrici esset casus, ut ovis et avis l. c.

quibus contra *e, um, es* reddi oporteret. Nam et "illam de *eis* accusativi regulam exemplis confutavit" [8]), neque in ablativo parisylla borumaut *i* aut *e* prorsus damnari voluit [9]). Ac sine dubio Varro prisci sermonis, cujus peritissimus erat, inconstantia, ne quid de hac re in universum statueret, prohibebatur, Stilonem magistrum secutus, quem tradit Charisius negasse, ferocioreis, quamvis genitivus *ium* non haberet, damnandum esse [10]).

Sed hanc Varronis sententiam nescio an imprudentes, amplexi sint illi, qui hac ætate omnium nominum, quæ in genitivo is haberent, themata in consonam exire statuerunt. Quam rationem qui secuti sunt, ut, in tanta copia Latinorum nominum in *is*, neutr. *e*, tamen negarent "esse in Latina lingua stirpes, quæ in i exirent", partim auctoritate Græca ceterarumque cognatarum linguarum adductos video, in quibus quum ejus positionis nomina, et quidem imprimis adjectiva, essent paucissima, quovis artificio [1]) hanc positionem e lingua Latina ejicere malue-

---

[8]) Charis. 129. Varro, l. l. X. 71, Bacchideis, Chrysideis ut *priscas* figuras commemorat. — Ceterum *is* etiam in nom. plur. inveniri testatur, VIII. 66. (hæ puppis, restis).

[9]) Charis. 122. Varro X. 112 ex *monti monte* alterum verum, alterum falsum et inscientis esse dicit, neque judicat, utrum verum sit. — Interiit enim magna pars eorum, quæ responderat ad illud, quod dictum erat ab altera parte, "singulos casus duobus modis dici". VIII. 66 sqq. Cfr. Muell. ad IX. 70. — Quod est apud Charisium (126): "Varro de poematis II. *lentim* quod eorum (?) nominum ablativus in i exit", causam a Varrone additam non putaverim: neque enim in illis libris præceptis grammaticis locum fuisse.

[10]) l. c. 129. (Cfr. 137 Majoreis Cicero).

[1]) Periti homines, quum legerint referri "*is* modo ex *idus* "welches den Stamm *ἰδεῖν* enthält" (Die latein. Wortbild. p. 98. "*humilis* ex *χθαμαλός* et *ἰδεῖν*") exortum esse, modo ex *-lentus* quod ab *olendo* provenerit, decurtatum (p. 107),

runt, quam ipsius linguæ morem legesque observare. Sed is, qui primus classes nominum Latinorum ex thematum diversitate ordinavit, Struvius non alia observatione, quam illa Varroniana, videtur ad hanc viam delatus fuisse. Nam quum hoc sibi proposuisset, ut doceret omnes Latinorum nominum declinationes sive ordines ad tertium ita esse referendos, ut in hac casuum formæ tanquam immixtæ et integræ cernerentur, in illis autem cum vocalibus, in quas exirent stirpes ipsæ, quasi concretae et corruptae laterent, in ceteris casibus non multum erat sane, quo ea ratio commendaretur. Etenim accusativos sing. *um* ex *oem uem*, ablativos *o*, *u* ex *oe*, *ue* conjunctos esse [2]), nulla erat in lingua Latina vestigium, neque etiamsi erat verisimile, nominativum plur. IV:ti ordinis ex duabus vocalibus compositam esse, tamen u vocalem cum longa *e*, qualis est in tertio ordine, coaluisse non poterat evinci. Neque, si omnino nulla stirps in *i* exibat, intelligebatur, unde *i* in genetivum plural. saltem injuria invadere potuisset, et nulla ratione ablativus in *e* ex dativo in *i* correptus dicebatur, quum brevis esset dativi terminatio in lingua Græca, "ex qua quum omnis Latina lingua, tum nominum declinatio fluxisset" [3]). At si valde interfuerat, genitivum a nominativo distinguere, magna causa esse videbatur, cur quis statueret, ubicunque in eandem syllabam *is* nominativus desineret, *i* tantummodo propter pronuntiandi facilitatem interpositam esse neque ad ipsam positionem nominis quidquam pertinere. Hanc conjecturam confirmabat, quod non solum, quum in ceteris ordinibus vocales stirpium cum casibus tertii ordinis permixtæ

---

modo "euphonicum" esse (p. 99), nomen auctoris non requirent. — Modestius et prudentius in eadem ratione versantur Düntzer, l. c. p. 26. *Ramshorn*, die lat. Endformen p. XXXVIII.

[2]) Cfr. tabulas ordinum, quæ sunt apud Struvium p. 38, 40.

[3]) Struve, l. c. p. 2.

latere putarentur, correpti nominativi *us* et *os* prohibere videbantur, ne eadem ratio ad hunc casum transferretur, sed etiam quod ipsa lingua satis ostendebat, in præcedenti syllaba et omnino in tota vocis figura causam esse, cur i modo intercederet, modo desideraretur[4]).

Atque hoc quidem est majori modo verum, quam Struvius ipse suspicatus est, qui quod nec generum diversorum[5]) neque omnino adjectivorum ullam rationem habebat, non potuit in hac parte satis facere. Nobis ita agere in animo est, ut quum viderimus, post quas consonas *i* vel adesse vel abesse maxime soleat, et ceteros casus, ubi cuique locus videbitur aptissimus esse, adhibuerimus, tum quæramus, utrum *i*, ubi sit, interposita, an, ubi non sit, interclusa videatur, an potius nihil de hac re in universum statui possit. Sed illud monemus, hoc loco tantummodo communis figuræ in *is*, non femininæ in *es* mentionem fieri, et tamen si quid utriusque commune sit, id jam hic commemorari, ne iterum sit ad eandem rem relabendum.

Primum igitur ab hac quæstione ea nomina sejungamus, de quibus est illa Struvii observatio, "vix posse vocali carere, quod concurrant tres consonæ", quæ aut in pronuntiando conjungi non possint (ut in *callis*, *puppis*, *piscis*, *anguis*[6]), *messis*[7]) aut si secunda excidat, duæ

---

[4]) l. c. p. 19.

[5]) p. 20. *Cor* sollte im nominativ *cors* haben — es ist eine davon apokopirte Form.

[6]) Quanquam vocab. *nix* ex *ninguis* decurtatum fuisse, verisimile efficiunt gen. nivis et verbum ningit et *ningues* acc. plur. Lucr. V. 736. Sed tamen hunc nominativum non magis propter accus. *ningues* lexica afferre debebant, quam *nivis* propter *nives*.

[7]) *As* pro principali *assis* dici probabiliter conjiciunt. Cum hoc *bessis bes* comparari non debebat, si quidem hic

s sint in exitu vocabuli continuandæ. Deinde de universo genere ceterorum hoc observamus, ut quæque consona facillime cum *s* ita coalescere possit, ut audiantur ambæ et integræ, neque totum vocabuli corpus ad unam et brevem syllabam redigatur, ita vocalem i abesse constantissime.

Itaque, in consuetudine scriptorum nullum versatur nomen in *-cis* aut *-gis* præter adjectiva *dulcis* et *jugis*[8]), neque in *-pis* ullum præter *apis*. Media labialis *b* non æque ad conjunctionem facilis est, credo quod una cum s hic sonus non integer auditus sit, sed conversus in tenuem *p*. Itaque *urbs* quidem dicitur, sed *orbis, corbis*.

At si ex usu optimi cujusque scriptoris recedentes ea audimus, quæ vel de prisco sermone narrantur vel apud novissimos scriptores usurpantur, non omni ætate Latinum sermonem videmus in hac re sibi constitisse. Nam quum sit apud Varronem[9]), in consuetudine fuisse nominativum *frugis*, et testentur grammatici pro *trabs trabes*[10]), pro *merx merces*[1]) pro *fax faces*[2]) dixisse antiquiores, et videamus et *plebes* et *plebs* in usu esse, ita ut illud sine dubio antiquius sit: rursus quum apud postremos fere tradantur in usu fuisse *nubs, corbs, seps*, recte concludimus Latinum sermonem magis magisque eo inclinasse, ut exitus

---

nominativus ex *duæ* (partes) *assis* conjunctus proprie genitivum ejus, quod dicitur *as*, habuit. Sed tamen ostendit, quousque ista, quæ dicitur apocopa, prodire potuerit.

[8]) Addi potest vox paene hybrida *depygis:* non credo posse *bijugis, quadrijugis*, quia hi nominativi nusquam inveniantur.

[9]) IX. 96. *Fruges* Prisc. I. 189.

[10]) Ennius ap. Prisc. I. 198.

[1]) Sallustius ap. Charis. I. 42.

[2]) Fest. p. 8. "*faces* ut *fides*" De iis, quæ incerta sunt *neces, stirpis* vid. lex. De *scobs, scrobs* Prisc. 320.

nominativorum contraheret, adeo ut longas vocales corriperet, deinde etiam ejiceret[3]): Sed diligenter observandum est, hanc rem ad monosyllaba et primitiva tantum pertinere, in compositis autem aut suffixo auctis nullam usquam esse varietatem, quin labialis aut gutturalis sine vocali cum *s* committatur[4]). Neque enim usquam, ut fruges faces, sic principis pro princeps aut *conjuges* pro *conjux* commemoratur. Itaque parum considerate Schneider[5]) et Struvius[6]) omnia nomina, quæ in *ps, bs* terminentur, principio ante *s* vocalem *i* interposuisse, mox syncopa quadam amisisse conjiciunt. Neque illa Corssenii ratio, statuentis, omnia composita in *x, ps,* inter has consonas vocalem *u* vel *i* amisisse[7]), quo nitatur argumento, video. Nam si Corssenius is esset, qui negaret, omnino radicem ipsam pro nomine poni i. e. casibus ornari, intelligeremus, cur id ne in compositis quidem fieri putaret. Sin vero in *dux, rex*[8]), radix ipsa nomen est, cur non idem concedatur de *judex, tradux?* Nam nom. *ju-*

---

[3]) Apud Probum, (Eichenfeld et Endl. p. 444) hæc vetantur, tab*is*, nub*is* et sim., id quod certe non fieret, nisi in aliqua consuetudine versarentur.

[4]) "Adeps vel adipes" Priscianus I. 169. 321 utrum auctoritate aliqua dixerit an secus, incertum est. Apud eundem Priscianum II. 526. legitur *inopis inopis. copis* habet Varro V. 92; Priscianus *cops* I. 321. Nimirum ut vox contracta in eadem causa erat, qua simplices.

[5]) Ausführliche Gramm. II. 183.

[6]) l. c. p. 20.

[7]) Von der Aussprache, Vokalismus et cet. II. 65. 66. Der auslautende Stammvocal des zweiten Compositionsgliedes fiel vor dem *s* des nominativus aus nach den Muten. So nach den Gutturalen c, g, q, in artifex, judex, et c., nach dem Labialen p. in *particeps* et c.

[8]) l. c. I. 157.

dicis aut *judicus* [9]) non magis invenitur in Latinis literis, quam *ducis* aut *ducus*. "At" inquit "mutilata esse hæc composita ex eo apparet, quod ex iisdem verbis inveniuntur composita, quæ figuras habeant adjectivorum per tria genera mobilium ut *magnificus, fatidicus, prodigus (remex),* (præcox), *præcoquus* [10])". Non video equidem, cur non ex eodem verbo duobus modis composita fingi potuerint. Sed tamen Corssenius, quum hæc dixit, non indicavit ille quidem, sed tamen movit quæstionem, quæ diligentius sit consideranda. Qui enim identidem de "syncopa ante s nominativi" loquatur [1]) haud dubie totius rei (i. e. transitus e themate in *o* vel *i* in thema consona clausum), etiamsi ad ceteros casus pertineat, tamen in illo masculini thematis casu causam ponit et originem. Cujus quidem rei exempla non prorsus desunt: nam ne de *damnas turbinas* dicam, quæ non declinantur, *mansues, locuples Lucipor* (Gen. -is) vix dubitari potest, quin ex *mansuetus locupletus Lucipuer* (us) exorta sint. Atque hoc tanto facilius fieri potuit, si verbum in masculino genere fixum erat. Jam vero, si quis *pontifex, judex* et *fatidicus, luctificus, veridicus, mirificus,* inter se comparabit, inveniet hoc interesse, quod illa substantiva sunt et usu populi trita vocabula, hæc autem adjectiva et fere a poetis ficta. In illis igitur masculini generis usus singularis tantum valuisse videri potest, ut vocali thematis interclusa ad tertium ordinem transferrentur: in his non tam facile fiebat, quia *mirifica, mirificum* æque frequentabantur, ac *mirificus.* At primum nequit comprobari, in illis nominibus *o*, antequam excideret, in *i* elevatam fuisse: deinde satis constat etiam in *x*, *ps* adjectiva inveniri, ut *simplex, particeps.* Ergo neque masculini generis nominativo tan-

---

[9]) l. c. II. 68.
[10]) l. c. II. 67.
[1]) l. c. II. 56. 58.

tum tribui potest, ut is omnem declinationem a primo et secundo ordine in tertium traduxisse existimetur, nec eorum ratio probari, qui statuunt linguam Latinam adjectiva et substantiva declinationis ordinibus discreta habere, ita ut omnia primi et secundi ordinis nomina proprie adjectiva, tertii autem substantiva sint idque hoc argumento sibi confirmare videntur, quod illa tria genera distinguant, hæc non item[2]) Nam generum discrimina etsi in adjectivis et expressiora sunt et constantiora, tamen propter adjectiva i. e. ad convenientiam significandam non potuerunt inveniri, neque ullum substantivum ejus generis, quod dicunt concretum, aut vere pro adjectivo usurpatum fuisse, nisi ex usu sermonis, aut non *potuisse* usurpari comprobari potest. Denique nihil afferunt, cur non nomina in *is e* tam adjectiva sint, quam illa in *us a* um[3]) Illam vero formam *is e* si quis putat in Latina lingua aliquando latius patuisse, est quidem, quo ea ratio non mediocriter commendetur, sed id non tam ad singula verba referat, quam ad genus universum. Nam quum jam prima literarum Latinarum ætate eum morem invaluisse videamus, ut inter mutas et semivocalem *s* vocalis ne interponeretur, pleraque autem hæc composita, ut fere omnia ejus generis, non antiquissima sint, nimirum in ipso ortu morem suæ ætatis, non vetustatis sequebantur. Ac si quando ex his compositis inveniuntur figuræ, quæ nisi ad themata in *i* non convenire videantur[1]), id fortasse jure colligas, hunc exitum genitivi pluralis, *ium*, omnis tertii ordinis

---

[2]) Ramshorn, die Lat. Endformen. XXVIII. B. XXXVIII sqq. Hartung, die Casus, 160.

[3]) Nisi cui forte persuadet Ramshorn, dicens: "Die Adjectiva der dritten Declination sind, weil sie durchaus Existenz zum Grundbegriffe haben, mehr als Prædicats-Wörter zu betrachten". Videsne hanc distinctionem ex Germanica lingua, non ex Latina sumi?

proprium et legitimum esse, illud non item, aliquando intercessisse *i* in nominativis eorum nominum, quæ nullum ejus rei vestigium habeant.

Sed si quærimus, quid sit, cur in monosyllabis sit varietas in polysyllabis autem *i* constanter desideretur, eam causam invenimus, quæ ad omnem hanc quæstionem maxime pertineat. Hæc enim causa sine dubio posita erat in accentu Latini sermonis, qui quum neque in duarum syllabarum posteriori neque unquam in brevi penultima poneretur atque etiam antiquiori ætate, etiam ubi longa esset penultima, inter utramque compositi vel derivati nominis partem ita divideretur, ut tamen majorem vim ad se traheret radix ipsa, aut prius eorum, quæ conjuncta erant, non potuit, præsertim in eo casu, qui non vocali aliqua, sed consona eaque ad mutarum conjunctionem facillima insigniretur, non varias antecedentium vocalium vel correptiones vel etiam jacturas efficere easque tanto constantiores, quanto ab exitu vocis longius recedebat. Hoc quum ita esset et in omni fere genere verborum terminationes vetustate correptas aut mutilatas videamus, omnino probabilius est, literam *i* horum nominum quum ab origine propria esset, post abjici solitam esse, quam nescio qua causa insertam fuisse [5]). Sed, ut jam supra diximus, hæc jactura non in singulis nominibus

---

[4]) ut principium municipium gen. plur. principis municipis. Lachmann ad Lucretium p. 51. — Jam Priscianus illud conjecit, quod apud recentiores grammaticos passim invenitur, oratores genitivos artificium, supplicium et sim. vitavisse, ne nominativis neutrorum similiter sonarent I. 324.

[5]) Ut suspicatur Haase ad Reissig, p. 80 Anm. *Donaldson*, Lat. Grammat. p. 31. idem statuit de ē in nubes (scil. propter ablativum ĕ): we have also with the inserted *e* nubes, anciently written nubs (id quod falsum est, nam hæc forma ex postrema fere Latinitate commemoratur) cædes, and the like.

ponenda est, sed ad universum genus referenda. Similiter fere in secundi ordinis nominativo fieri videmus, ut maneat *us*, si accentus est in penultima [6]) (*mĕrus*, *ferus* (sed semifer), *herus*, *serus*, *severus*, *verus*), at abjiciatur fere [7]) semper, si ponendus esset in antepenultima. Quanquam hic nulla est in singulis verbis varietas, quia *r* una cum *s* pronuntiari non poterat.

Sed ut ne his definiatur oratio, quæ in *x* aut *bs ps* terminantur, non eadem est causa eorum, in quibus, si non intercedit i, *s* ad lingualem adjungitur. Quæ quum non una cum *s* audiri, sed ante spirantem excidere deberet, fugiebatur, ne verbum ad nimiam redigeretur gracilitatem. Nam licet videre, hujus generis nulla esse monosyllaba, in quibus non ante lingualem aut consona sit aut diphthongus aut certe producta vocalis. Itaque *sitis*, *rŭdis*, *trŭdis sudis*, *cŭtis*, *pŏtis* [8]) *rŭtis*, sed *gens*, *fraus*, *cos* (cautes), *lis*, *dos*. At in compositis et derivatis non solum post longam vocalem i desideratur, ut *custos*, *æquitas*, *virtus* [9]), *Samnis*, *libripens*, sed etiam post brevem *impos*, *intercus*, *deses*, *ales*. Quæ huic observationi repugnant, pauca sunt: *tis* post longam vocalem invenimus constanter in adjectivo *mitis*, post consonam in adjectivo *fortis* et in substantivis *sentis*, *sementis*, *Carmen-*

---

[6]) Ex hac parte claudicat definitio: Nach einer langen Vocal wird -rus immer beibehalten. (*Neue*, Formenlehre der Latein. Spr. p. 3).

[7]) Exempla retentæ syllabæ *us* post duas breves hæc sunt: *numerus*, *humerus*, *uterus* (uter Non. 188), *properus*. In contraria causa est *vir*.

[8]) Quamquam in communi sermone *pos* auditum fuisse, testatur Varro, V. 4. Cfr, *pês*, *vas* (prævides, Lachm. ad Lucr. 393).

[9]) De origine thematum *-tat- tut-* ex *tati*, *tutu-* vid. Schleicher. l. c. 366. Aliter Curtius de græc. nom. form. p. 12. De gen. plur. horum nom. Lat. Reissig l. c.

tis, *vectis* (quod cum *nox* comparetur) *neptis*, credo, ut a masculino *nepos* distingueretur, eadem ratione, qua in nonnullis adjectivis movendi ratio in nominativo inventa est, quum in masculino vocalis cum *s* abjiceretur, retineretur autem in feminino.

Sed etiam ex iis, quæ vulgo in —*ns*, *rs* desinunt, nonnulla apud antiquiores in nominativo *is* habuisse a Grammaticis accepimusi, ut Priscianus tradit Ennium dixisse *mentis*, *sortis* Plautum[10]). Quæ figuræ si principales habendæ sunt et *mentis* ad radicem quæ est in me-*min*-i ita est referendum, ut *ti* sit suffixum, de iis, quibus ad suum cuique verbum eadem ratio est, *gens*, *mors*, *fors* (*pons*, *fons*, *mons*) *quies*, *dos*, idem sit judicandum, præsertim quum in genitivo pluralis[1]), constanter habeant *-ium*. Sic fit, quum eodem suffixo ficta sint *gens*, *mors*, et *tussis*, *messis*, in quibus post lingualem *t* certa fere lege in s mutata est[2]), et ex his fortasse conjecturam facere liceat ad ea, quorum origines ex latinis verbis dicere non possimus[3]) — sed hac comparatione efficitur, ut vocalem

---

[10]) I. 320. 341. Cfr. Varro, V. 59.

[1]) *Corssen*. l. c. II. 56.

[2]) Apud priscos non adeo certam fuisse hanc legem ostendit non solum id, quod affert Festus *aggrettus* pro *aggressus*, sed etiam servata exempla: *assentor*, *tentum sponte* (spond-te?). Horum similitudinem sequens, *pontem* ad pendendum, *fontem* ad *fundendum* (Prisc. I. 27. *funtes* pro fontes vestustissimi) non audacissime referas. Varro V. 119. 123. a fundendo et *fontem* et *futim*, vas aquarium repetit.

[3]) vestis, fustis (ferio (fesio Fest.) ?), postis (pono?) vectis, pectis, hostis, testis. Quum constet in *-tis* verbalia abstracta fingi solita fuisse — ad quod genus recte refertur, non singula omnia adverbia in *-sim tim*, sed ipsa figura — credo eodem pertinere *sementis* a *seminando* aut

i suffixi propriam potius, quam pronuntiationis causa insertam existimemus.

Præter hæc verbalia alterum est genus nominum, quæ etiam certioribus testimoniis olim in nominativo *-tis* vel *tes* habuisse acceperimus. Quæ enim in *as* Gen. *-atis -is* Gen. *îtis* ex nominibus et pronominibus ita finguntur, ut rem vel hominem ex loco, situ, possessione nominent, eorum nominativos constat apud antiquos in *-atis*, *-itis*, exiisse, ut *Capenatis* (lucus), *Arpinatis*, *Ardeatis* [4]), *Ferentinatis* [5]) (populus), *summatis* [6]), *cujatis* [7]), *Samnitis* [8]). Ac

---

a semine — nihil enim interest, utrum id ad substantivum referas an ad verbum, quod ductum est a substantivo, — charactere, ut ajunt, verbi intercluso.

[4]) Cato apud Prisc. I. 129. — *Capenas* et similia, cui non videatur verisimile, in communi sermone ita pronuntiata fuisse, ut accentus in ultima syllaba esset? Neque tamen in Capenas (ex Capenatis) magis necessarium fuit quam in *animal* ex *animale*, neque de ea re Prisciani habemus *testimonium* (ut ait Corssen, II. 57), sed conjecturam. Dicit enim l. c.: "non est dubium, quin *debeant* hæc quoque" (ita ut viden pro *videsne*) "idem servare" (ut in ultima circumflexum habeant). His addit "etiam propria nomina differentiæ causa in fine circumflexa inveniri ut Lænas (-atis), Menas, ne accussativi pluralis *menæ* et *lenæ* esse putentur". At si hæc nomina prorsus eodem modo formata sunt, quo *Ardeas* et *Arpinas*, ("*Lesas*, *Ufenas*, *Carinas*, *Mæcenas* ab loco sunt" dicta, Varro l. c. VIII. 84) et in his ultimas accentum habuisse tanto minus credibile est, quod et Menas *Menæ* dicebatur, quis non suspicetur, etiam in illis totam rem a grammaticis fictam esse, quo distinguerentur nominativi derivatorum ab "accusativis plur. primitivorum, quorum plerumque similes essent." Prisc. I. 336.

[5]) Titinius apud Prisc. l. c.

[6]) et *infimatis* Plaut. Stich. 492.

[7]) Ribb. Trag. rel. 185.

[8]) Cato ap. Prisc. I. 337. Laurentis terra ibd. Sed de

quum ex gentilibus in *-tes* inveniantur non solum, quæ ante *t* longam vocalem habeant, sed etiam, quæ brevem aut nullam, *Cærites*, *Tiburtes*, *Nartes*, *Tudertes*, *Camertes*, *Picentes*, *Ufens* et *Ufenas*, nescio an idem suffixum sit in appellativis, quæ finguntur a nominibus, *eques*, *ales*, *pedes* [9]), *coeles*. Quorum eadem ad *penates*, *primates* ratio est, quæ *justo*, *onusto*, *scelesto*, *liberto*, *arbusto* ad *sceleratum*, *oneratum*, *liberatum*, *arboretum*, et quæ sunt ejusdem generis. Neque non est verisimilius, verbalia *antistes*, *præstes*, *comes*, suffixo *ti* vel *te* formata esse, quam *t* literam insertam fuisse, quo possent declinari [10]).

Sed illa gentilicia vel possessiva in *as*, *is*, quum apud scriptores passim nominativum in *s* omnis generis com-

---

hoc vocabulo dubitari potest, utrum cum his comparandum sit, an potius ut *Vejens* cum participiis, quod non constat utrum *n* ad primitivi thema pertineat nec ne. His accedunt ea, quæ Priscianus nullo auctore refert *penatis* (355) (Cfr. Fest. 153), *primatis*, *optimatis* 129. De nomin. *Ditis* vid. Klotz, et Tertull. I. 33. Plura invenias in libro jam commemorato: Neue Formenlehre d. Lat. Spr. Sed quod is ex Cic. de leg. agr. I. 31, 85 adhibet *ager Stellatis* id jam prudenti, ni fallor, Ussingii conjectum remotum est.

[9]) Cfr.: *Walter*, qui (Zeitschr. f. vergl. spr. X. 194 sqq), copiam horum nominum collegit. — *Ek* l. c. 46 *miles* principio *militis* vel *milites* dictum fuisse conjecit. (*Coeles* pro adjectivo neutr. gen. utitur Ov. Fest I. 236).

[10]) *Curtius* l. c. p. 10. In hoc enim consentit cum *Lobeckio* Paralip. II. 121. sqq. quod ponit "cliticas" quasdam consonas, sive quæ "copulandarum casuum terminationum causa" l. c. adhibeantur. Sed Lobeckius constanter has consonas a nominativo excludit: Curtium miror, qua causa *t* in nominativis *ἄγνος superstes* excidisse (p. 10.) potius, quam nunquam fuisse statuat. Si enim ad copulandum assumuntur, quid copulent in nominativo? An vocali *ω* aut i consona opus est, ut una cum s commode pronuntiari possit?

munem habeant, testatur Priscianus neutrum etiam in *te* interdum terminare. Ac Priscianus quidem ita de hac re loquitur, ut neutra in *te* etiamtunc in consuetudine sermonis versata, masculina autem in *tis* tantummodo apud antiquissimos scriptores inventa aut ad illorum analogiam restituta esse videantur [1]). Sed de Prisciani vel sententia vel auctoritate forsitan dubitari possit: exemplum autem hujus rei exstat non solum ex Nævio [2]), sed etiam apud Gellium [3]). Quem numerum augent et *dite*, quum dives omnis generis sit, et nomina oppidorum, quæ interdum possessiva sunt ejusdem ordinis, cujus sunt incolarum nomina. Ut *Reate*, *Præneste* [4]), *Sabate*, Teate (oppidum Teatium [5]), Cære, Cærite, Cærête [6]) Cæritum; neque enim genitivum *Cæritis* aut ablativum *Cærête* (de quibus vid. lex.) ad nominativum *Cære* referendos esse putaverim, sed

---

[1]) neutrum quoque eorum in e finitur, nostrate vestrate ex quo ostenditur illorum quoque (i. e. masculinorum) nominativus in *tis* secundum analogiama vetustissimis prolatus esse. p. 587. Cfr. 337. Rhemm. Pal. 1374 P.

[2]) Prisc. 130.

[3]) XVIII. 5. in rus Tiburte concesseramus. Cfr. Prisc. I. 333.

[4]) Nemini credo Corssenium probare, quod dicat de Præneste (Zeitschr. f. v. Spr. III.): Das auslantende e scheint eine Abschwächung des weibl. *a* zu sein, wie in Herie: daher erscheint dieser Stadtname allein von den auf e auslantenden auch als Femininum und erst der römische Sprachgebrauch hat ihn zum Neutrum gestempelt". Constat enim in hoc genere cursum, ut ita dicam, sermonis plane contrarium fuisse, ut magis magisque mos ille Græcus invalesceret, ut oppidorum nomina feminini generis essent.

[5]) Liv. IX. 20. 7.

[6]) Prisc. I. 134: Cærete oppidi nomen est.

ut in *Nepe Nepete* primitivam figuram et derivatam eadem fuisse significatione [7]).

Quod si hæc adjectiva, quum olim fuissent mobilia, ita immobilia facta sunt, ut masculina figura in *s* omne genus occuparet, in promptu est significare, idem factum esse in omnibus neutris, quæ *s* assumunt in nominativo, ut, quum in masculina figura *i* ante *s* intercidisset, tum mobilitas amitteretur. Atque esse hanc literam neutrorum non propriam, sed aliunde cum hoc genere tanquam communicatam, satis argumenti est, quod nihil ejusmodi invenitur in iis, quæ fixa sunt in neutrali genere i. e. substantiva [8]). Sin autem causa quæritur hujus quasi communicationis, non crediderim probandam esse Hartungii conjecturam, putantis, hæc adjectiva proprie non esse omnium generum, sed tantum masculini et feminini communia [9]). Neque tamen in nonnullis nominibus fieri non potuisse existimo, ut propterea in oblivionem veniret neutralis figura, quod semper fere ad homines nominandos adhiberentur. At si huic conjecturæ locus est in genti-

---

[7]) Ut ad Ferentinum Ferentini, ad Sūtrium Sutrius, (Sutria tecta Sil. Ital. VIII. 492), ad Sabinum Sabini, sic ad Teate rationem habent Teates, ad Cærite Cærites, ad Laurentum fere Laurentes. Neque Sabatia (stagna Sil. Ital. VIII. 491), quod Klotzius ad nominativum *Sabatius* refert eum magis requirere videtur, quam *Laurentia arva* (Virg. Aen. IX. 100) figuram *Laurentius*, sed ut hoc ad *Laurens*, sic illud ad *Sabatis* referendum est.

[8]) Charis. 88. in *ex* neutrum nullum invenies, nisi ex communione.

[9]) Sic interpretor ea quæ leguntur l. c. p. 159, ut ea de tertii ordinis adjectivis tantummodo dici existimem. Nam conjicere nulla omnino olim ("früher") omnis generis nomina i. e. vere adjectiva, minime Hartungium decebat, qui primam et secundam declinationem propter adjectiva natas existimaret Cfr. supra.

libus illis, *Ardeas, Samnis* et quæ ejusdem fere generis sunt, *eques, coeles,* in ceteris, quæ sunt in hac causa, in participiis in *ns,* in adjectivis in *ex, rs* non habet quidquam, quo commendetur. Sed videtur sermo, quum mobilis figura in *is e* horum omnium propria esset, postea oblivione quadam et negligentia notam communis generis cum neutro communicavisse, præsertim quum in attributis minus, quam in substantiæ nominibus sentiretur, si quid figura a significatione discreparet, et illa figura neutralis in e, si retineretur, et una syllaba longior esset quam masculina et interdum alio accentu pronuntianda. Quo accedebat fortasse, quod non semper satis ab-obliquis casibus distingui voterat. Pottius[10]) cur *s* etiam in neutro nominativi et accussativi adjectivorum adhiberetur, hanc putat causam fuisse, quod nollent in mutam verbum desinere. At si verbum Latinum invenire vix possumus, quod ab ipsa origine in mutam desinat, consentaneum est etiam horum neutrorum origines fingere tales fuisse, ut neque ab hac lege abhorrerent, neque id, quod hujus generis non esset, assumerent. Jam vero de participio præs. act., forma usitatissima et Latino sermoni cum multis communi quis non cum Schmidtio suspicetur [1]), quum neutrius generis in *e* nusquam sit vestigium, *t* in *s* mutatam potius, quam ante *s* amissam, ut de *κρέας*, *τετυφός* et sim. statuunt ii, qui Græcam grammaticam tradunt? Sed primum ejus mutationis vix vestigium est in lingua

---

[10]) Gramm. Geschl. p. 402 Eine Variation hätte auf Hindernisse gestossen, die, zwar nicht schlechthin unüberwindlich, doch von ihr abriethen — — es ging mit dieser Entbindung von einem natiirlichen Sprachgesetze oder mit dieser licentia grammatica fast so wie mit der Versnoth. — Das Weglassen von s hätte gegen ein anderes Gesetz (z. B. Keine Muta am Wortschlusse zu setzen) verstossen.

[1]) l. c. p. 316 sqq.

Latina: deinde nom. plur. neutr et gen. plur. quid esse dicimus, cur in *-ia* et *-ium* terminentur? Nam quod dicit *Meyer* [2]): "vom Plur. neutr. in *a* ist zu bemerken, dass das ia, da das Lateinische viele Adjectiva auf *i* besitzt, überhaupt ein sehr beliebter Ausgang des Plurals geworden ist und auch sehr oft erscheint, wo nach sonstigen Bildungen die fragliche Grundform vielmehr als consonantisch aufgefasst werden mochte", multo est veri similius, Latinos nonnunquam hæc neutra vitasse, quod femininis substantivis similia essent, quam vocalem *i*, si in themate nihil causæ esset, adhibituros fuisse. Quod autem est apud Meyerum "nach sonstigen Bildungen" hoc dicit sine dubio, in cognatis linguis themata hujus participii vocali non terminari. Ac si quærimus, quomodo hæ linguæ in participio discrimina generum efficiant, videmus Græcam linguam in nom. sing. masculinum a neutro quantitate vocalis distinguere, Sanscritam autem in neutro *n* abjicere. In Gothorum lingua tradit Schleicher l c. p. 316, participium nunquam, nisi quum pro substantivo ponatur, vocali thematis carere. Quum igitur hæc forma part. præs. act. ita cognatarum linguarum communis sit, ut suum quæque morem sequatur, nescio an præstet, si omnino, quæ in lingua Latina vetustate quodam modo deformata videantur, ea ad rationem revocare audeamus — nescio igitur an ipsius linguæ vestigia sequi melius sit, quam alius cujusdam similitudinem, quasi hæc utique communis matris hereditatem servaverit ("das vom gemeinsamen Mutterstamme mitbekommene Erbgut" Pott. l. c. 403). Illa autem vestigia linguæ Latinæ eo ducunt, ut participia præs. ex positione in *i* profecta esse suspicemur.

Sed cum neutrius ge. nominativo ablativus sing., non sine causa in hac quæstione conjungitur, propterea quod vix potest dubitari, quin illius casus similitudo obstiterit, ne abla-

---

[2]) l. c. p. 72, 73.

tivus ubique a dativo diversam figuram obtineret. Nam quum ablativi duæ figuræ sint, una in *i*, altera in *e*, has vix licebit ita distinguere, ut illa ad thema in *i* (e), hæc ad thema consona clausum referatur. Etenim et *e* reperitur in ablativis eorum nominum, quorum themata sine controversia in vocalem exeant, ut ostendunt et appellativa *mare*, *rete* et propria oppidorum nomina in *e* nom., ex quibus illa satis constat apud vetustiores *e* [3]), hæc vix ulla ætate *i* habuisse [4]). Rursus in *i* inveniuntur ablativi talium nominum, qualia sunt Tiburi, Carthagini [5]), ruri. — Quos casus si quis dicit non ablativos esse, sed locativos, et placet alius linguæ auctoritate Latinam septimo casu donare, qui fit, ut hic locativus semper productam vocalem habeat, quum brevis sit terminatio et in Græco sermone [6]) et in Sanscrito? Quid, quod in prisco sermone *ê* et *ei* Dativo cum ablativo communis fuit? [7])

---

[3]) Charisius 61, Prisc. 331. De *rete* cfr. Schneider l. c. II. 106.

[4]) Prisc. I. 333. propria ejusdem terminationis (e) similem habent nominativo ablativum. — Apud Propertium III. 32. 3. Keilius tamen legit *Prænesti.* — Cfr. Schneider, l. c. II. 220.

[5]) Cfr. Ruddimann., Inst. Gr. II. 271.

[6]) Nam Græcum dativum locativo linguæ sanscritæ respondere volunt; vid. *Bopp,* Vgl. Gramm. p. 405.

[7]) Dativi in ê exempla multa sunt, cfr. Ritschl., Rhein. Mus. VIII. 480, Schneider. l. c. Corssen, l. c. 215, neque desunt ablativi in *ei*: productæ ê in ablativo vix ullum certum est: nam quod afferunt ex Tit. Scip.: "Gnaivód patré prognatus (Corssen l. c.), *e* positione, ut ajunt, produci potuit. — Apud Plautum (Rud. 981) Priscianus (382) legit: in marê communi: in nostris codicibus est *mari.* — In Ennii Ann. 420 (Vahl.) (Fest. 243. Prisc. 260) multo probabilius legas *montem*, quam montei, quum et hæc lectio incerta sit

His rebus quum vetus de ī et ĕ ablativi dubitatio implicari magis, quam explicari videatur, si quis tamen in tanta rei obscuritate versari audebit, duas res maxime considerabit. Primum meminerit, tertii ordinis *e* non minus, quam i propriam fuisse, et vero hanc literam in prisco sermone frequentiorem, ita ut antiqua nonnulla *substantiva* non solum in nominativis neutr. gen. hanc vocalem perpetuo servaverint. Ergo quod ablativus *e* habeat, ex eo non continuo licet concludere, thema nominis aut in consonam exire aut vocalem *i* in *e* mutatam fuisse [8]). Deinde, quoniam in *mare, urbe,* si stirps in e exit, nihil relinquitur casui, circumspiciat, ex qua principali figura hæc corrupta esse videatur. In quo considerandum est, utrum tres casus ponat, dativum, ablativum, locativum [9]), an duos, ablativum et dativum [10]) an hos ipsos ab eadem origine profectos velit [1]), id quod non solum ex tertio ordine, sed etiam ex reliquis est exquirendum. Equidem non negaverim esse nonnulla, quæ suadeant, ut ablativos â, ô, û, ê ex *ai, oi, ui, ei* ortos existimemus. Nam et in quarto ac quinto ordine dativos ipsos non raro in û, ê desinunt, et quum in pronominibus dativus et ablativus etiam in secundo ordine distinguantur, tamen vis adver-

---

et sententia accusativom poscat. — De *ei* vid. Ritschl. et Corss. l. c., docentes, non tam diphthongum eam fuisse quam *longam* vocalem soni inter *e* et *i* quasi interjecti et medii.

[8]) Ita fit apud Donaldson. l. c. p. 27 ut, quum ex *urbium* concluserit thema *urbi* esse, dicat: "the characteristic is changed into *e* in abl."

[9]) Ut fere volunt ii, qui versantur in comparatione linguarum.

[10]) Apud antiquos constat fuisse, qui septimum casum ponerent et vero etiam octavum, neque tamen hi *formis* — sed significatione ducebantur. Vid. Consentium, 2033 Putsch.

[1]) Quæ Struvii, Hartungii, Schmidtii sententia est.

biorum *quo, illo, huc* sine controversia dativo vel locativo propior est, quam ablativo. Sed tamen quum considero, non solum pronominum dativis cum adverbiis loci communes fere figuras esse, sed et nominum ipsorum, ubicunque sine præpositione locus, in quo quis commoretur, sit significandus, hunc casum in ī paene legitimum esse, et in tertio ordine duas formas facilius inter se confundi potuisse, quam novum formæ discrimen sine causa inveniri, non dubito, quin hi, qui appellentur dativus et ablativus, ad duos casus referendi sint, quorum unus ad stirpem *i* vel *e* assumserit et ad locum, in quo quis esset, significandum natus etiam dativi functus sit munere, alter in *d* desinens [2]) vim habuerit auferendi. Sed postquam et d ablativi abjici et locus raro sine præpositione significari coeptus esset, credo cautum esse, ut, quum in tertio ordine duæ essent figuræ, ei (î, ê) et ĕ, dandi ratio, quæ maxime a ceteris differret neque unquam præpositione posset significari, et similem ubique et propriam haberet figuram. Sed hac distinctione neque tantopere opus fuit in adjectivis, quam in substantivis, et in illis etiam magis intererat utrumque casum a nominativo neutr. gen. distinguere. Quo quum jam per se inclinaret sermonis consuetudo, ratio accessit grammaticorum, qui jam inde a Cæsare tradiderunt, "quæ facerent neutra in *e* i. e. adjectiva tertii ordinis, quæque substantiva in *e*, antecedente producta syllaba, desinerent, ea ablativum dativo similem habere [3]).

---

[2]) Cfr. Bopp, l. c. 348 sqq.

[3]) Charis. 59. propria et appellativa in *e* (principalia sive facientia Plinius ap. Char. 118) ita declinabuntur *ab hoc rete:* facticia autem (possessiva sive patiendi l. c.) ab hoc vitali id. 119. G. Cæsar, quasi hoc indiscretum sit (i. e. quasi ad omnia nomina in *al* et *ar* pertineat, non tantum ad ea, quæ sunt possessiva et *a* producant in genitivo). (Cfr. 85 et Prisc. I.

Ex genitivo plurali multi[4]) non sine causa putaverunt tanquam a teste locupletissimo, utrum quodque thema in consonam, an in *i* terminaretur, cognosci posse, quod nec dubitari posset, quin ipsius casus figura — *um* esset, nec eadem causa fuisset interponendæ *i*, quam quis in nominativo fuisse suspicaretur. Ac certe huic casui tantum tribui necesse est, ut dicamus, si nulla fuisset positio in *i*, ne genitivos quidem in *-ium* ullos futuros fuisse: ceterum in multis nominibus *i* intercidisse, quam principio abfuisse probabilius est[5]). Qua in re crediderim neque nominativum sing. neque accentum nullam vim in gen, plur. habuisse. Nam nominativus sing. in *s* et genit. plur. non

---

222) ait *l* litera nominativo singulari finita nomina eandem declinationem capere, quam capiunt *e* litera terminata, huic animali et ab hoc animali, id. 122. omnium nominum, quæ sunt neutri generis et in *e* terminantur, ait Plinius Cæsarem scisse, eosdem esse ablativos, quales sunt dativi singularis. Cfr. Priscian. 334. — (Ex his intelligitur, quanto in errore sit Hartungius, quum dicit l. c. p. 185. Noch Cæsar erklärt von Neutren auf al den Abl. auf e für eben so gut, wie den auf i. Scilicet Hartung. illa verba: "quasi hoc indiscretum sit" male intellexit. — Non minus perperam idem scriptor l. c. Charisii et Prisciani auctoritate confirmari dicet, vetustiores neutrorum in *e*, *al*, *er* ablativos in e sæpius, quam in i declinasse). — Priscian. I. 339. bipennis commune est et habet etiam neutrum, *ideo* ablativum a bipenni facit. Cfr. 339. Augustinus 1987 P.: felix ab hoc felici, sono generis nautri.

[4]) Corssen. l. c. II. 56. Meyer, l. c. p. 2. Donaldson, l. c. p. 2.

[5]) Quo in genere animadvertendum est, in multis aliis formis Latinæ linguæ *i* modo intervenire, modo intercludi, ita ut illud verius sit existimandum. Cfr. *parens* et *pariens*, *castrensis* et *Carthaginiensis*, (Zeitschr. f. vergl. Sprachforsch. III 297), *pusio* (pusus), mulio (mula), et *lento*, *naso* (lentus, nasus), *primores* et *proximiores*.

sine causa in hac quæstione conjunguntur, quod in neutro casu vocalis thematis cum casus vocali coalescit. Ac quum in monosyllabis lex fere sit, ut si in stirpe ante gutturalem et labialem altera sit consona, genitivus plur. in *-ium* desinat[6]), sin vero non sit, in *-um*, quid in vocabulis paene gemellis huic discrimini causæ fuisse censemus, nisi quod ea nomina *i* servaverint, quæ propter concursum consonarum in nominativo *i* servassent diutius? Quod autem tradit Priscianus "frequentius in *es* terminantia sine *i* inveniri", nemini, credo, persuadebitur, hanc productam vocalem propter pronuntiandi facilitatem in nominativo insertam fuisse, sed quum thematis propria esset, in genitivo nonnunquam[7]) interclusam, quod, prævalente in tertio ordine hoc sono *i*, figura *-eum* omnino obsoleta esset. Ac cur adjectiva constantius *ium* haberent, quam substantiva[8]), hoc causæ fuisse apparet, quod omnino positio in *i*, quippe quæ in nom. sing. mobilitatem haberet, adjectivorum magis propria esse sentiretur, etiam si forte illa facultas in nominativo esset amissa. Illi autem causæ accentus non crediderim tantum tribui posse, quantum tribuatur a Reissigio[9]), et tamen verisimile est, nonnulla nomina in genitivo pluralis i amisisse, quod in hac re ceterorum casuum similitudinem genitivus seque-

---

[6]) Charis. 137, 141.

[7]) I. 353. Sed hujus usus pauca exempla afferuntur *vatum*, *sedum*, *struum*, *cædum*. Reiss. l. c. 106.

[8]) Cfr. Simplicium et supplicum, mobilium et vigilum.

[9]) L. c. p. 93 sqq. Cfr. Weissenborn l. c. p. 68. Sed quod ille assumit, ut sit antecedenti consonæ cum *i* cognatio quædam, (qua ratione ductus *honorium* postulat, *cervicium* respuit) merito a Weissenbornio rejectum est. Nam in illis in *or*, *o* gen. plur. in *ium* prorsus inauditus est: de nominibus autem in *x* antecedenti longa vocali vid. Charis. 124 et Weissenborn l. c.

retur, id quod maxime in iis accidisse suspicor, quæ ex adjectivis in usum substantivorum translata sint[10]). Ceterum neque quæ nomina *um* habeant, neque quæ *ium*, hujus temporis est describere ac persequi, sed tantum monere, quid in hac quæstione observandum putem. Neque vero speraverim fore, ut ad rationem redigantur omnia[1]).

Jam vero ut ad eos casus veniamus, qui in omni tertio ordine similes sunt, genitivus singularis in is, si cum quarto ordine confertur, qui olim hunc casum in *uis* terminavit, certe nullam partem habet, quæ themati videatur attribui posse. At et si credimus, secundum casum Latinorum olim Græco similiorem fuisse, ut in *os* vel *us* desineret, ante pleniorem vocalem i excidere ut in *minus*[2]), *plus*, deinde hæc ipsa elevari, ut in *magis*, et, si *is* in hoc casu principale fuit, *i* ante similem abjici potuit, ut in (capio) *capis*, *capimus*. Sed ut hæc incerta sunt, sic

---

[10]) Huc pertinent *divitum* (ditium) et omnino omnia in *-tis* (es ıtis), quum rarus sit gen. *um* in iis, quæ longam syllabam habent ante *t*. Alia exempla sunt *juvenum* (quo tamen de vocabulo ex comparatione linguarum statuatur vid. Pott, Etym. Forsch. II. 332.). *celerum*, *volucrum* ("consuetudo" Charis. 146). Non su mnescius, objici posse, "nihil attinuisse, in gen. plur. servare æquabilitatem accentus, quæ omittenda esset in dativo" (divitibus): sed tamen non eadem causa erat hujus casus, in quo nulla omnino esset varietas, et illius, qui coepisset esse ambiguus.

[1]) *Canum*, *mensum* existimant ratione dici, quod in Græco sermone themata vocali careant. At *navium* quis audeat dicere rationi repugnare, quod non congruat cum Græco aut Sanscrito? Neque crediderim, hominem doctissimum, Pottium, recte dixisse, in Latino sermone, si sibi constaret, pro *canis cô* ut turbô, dici debuisse. Aliter enim radicales syllabæ afficiuntur, aliter suffixa. (Cfr. *Pott.*, Jahrb. f. Wiss. Kritik 1832).

[2]) Cfr. Festus v. *mina*.

nominativum et accusativum pluralis numeri ês, eis, îs, si per se spectantur, nihil est, cur quis minus, quam i (ei), ûs ex duabus vocalibus, una thematis, casus altera contractos putet. Nam illud quidem constat, optima literarum Latinarum ætate genitivum *ium* secutos esse nominativum et accusativum îs vel eis[3]); at neque in ea re scriptores omni ætate sibi constiterunt[4]) nec brevis *e* nusquam vestigium est, quanquam, si Græcam linguam adhibeas, videtur fieri debuisse, ut nominativis *πατέρες πόλεις* responderent Latini *patrēs*, *urbês*. Hic nihil adjuvant, qui dicunt, Latinos soni sequentes suavitatem terminationem produxisse, quasi de hac re nos judicare possimus, sed etiam illi, qui docent, in Latina lingua themata consonis clausa cum iis, quæ desinant in vocalem i, in declinatione confundi, rem describere magis, quam causam reddere videntur[5]). Nam quum Latina lingua per omnem ætatem, ex qua nobis relicta sunt literarum monumenta, eo inclinaverit, ut clausulas verborum corriperet ac mutilaret, parum constanter eidem linguæ plane contraria quasi inclinatio tribuitur, ut has longas et contractas terminationes latius patere voluerit, quam ferret ipsorum verborum natura.

Hæc omnia si quis consideraverit, forsitan maxime probabilis videatur Schmidtii[5]) sententia, a nullo nomine *i* vocalem excludentis, eorum, quæ tertiam sequuntur declinationem. Quamquam hæc sententia necessario ita moderanda est, ut nunc certe utrorumque thematum non neget communem esse tertiam declinationem, sed ipsam declinandi formulam a thematis in i (e) desinentibus pro-

---

[3]) Cfr. Wagner, Orthogr. Virg. 384 sqq.

[4]) Cfr. Lachmann, Comm. ad Lucret. 57.

[5]) Hartung, l. c. p. 252.

[6]) l. c. 311. 312. Etiam Meyer ab hac ratione non abhorret, l. c. p. 3. Cfr. Zeitschr. f. vergl. Sprachf. V. 366. sqq.

fectam esse suspicetur. Atque hoc etiam illa ratione confirmari videtur, quod, si quis putat quæri posse, cur in ipso secundo et quarto ordine inter radicem [7]) et casus vocales o, u, intercesserint, nullam causam inveniet, præter eam, quæ omnis nominis communis fuerit. Etenim quod dicit Hartungius [8]), has vocales copulas quasdam esse, quæ radicem cum casibus conjungant, id ita probari posset, si casus a consonis inciperent: at nihil afferri poterit, cur radici addita sit vocalis, quæ cum altera vocali contraheretur. Omnis enim lingua hiatum fugit, ac, si ortus est, rei variis modis subuenire studet, nec probabile est, ullam creasse ipsam, quod ferre non posset. At vero quantum nos respicere possumus, major pars casuum latinorum non ut personæ verborum a consonis, sed a vocalibus incipit: quod si in nominativo vocalis addita est, ut, *s*, *m* cum radice copularet, quid fuit, cur non in ceteris casibus rursus excideret? Ex quibus intelligitur, has vocales neque casuum partes esse neque propter declinationem intercedere, sed in ipso themate causam habere, cur adhibeantur. Jam vero jure dicunt, utrum quæque vox verbum sit, an nomen, non cerni nisi ex flexione [9]), sed tamen, si casus non una mentis tanquam ordinatione constituti sunt, sed, ut cujusque usus sentiebatur, inventi [10]), nimirum inter radicis inventionem et flexionem secundum quendam formandi gradum intercedere necesse fuit, quo partes orationes per se ipsæ distinguerentur. Ac quoniam in verbo et prior sine dubio radicis usus fuit et hæc pars orationis semper radici propior est [1]), credo, et na-

---

[7]) Nam ad hæc redeundum est, quæ solam radicem habent, si quis tanquam nativam nominum figuram quærit.

[8]) l. c. 134, 163.

[9]) Madvig, om Kjönnet p. 120. Schleicher, l. c. 420.

[10]) Madvig, om de grammatiske Betegnelser I. p. 13.

[1]) Madvig, om Sprogets Væsen p. 29. 30. Schleicher, l. c. p. 289. Humboldt, l. c. p. 257—259.

scentem sermonem ubique vocalem adhibuisse, quæ radicem in forma nominis poni significaret [2]), et hujus originis in omni declinandi formula Latinorum servari vestigia.

Sed ut hoc probabile est, sic non licet negare, esse non solum singula vocabula, quorum themata recte dicamus nunc in consonas exire, et suffixorum formas quasdam, quarum etiam ab origine, i. e. postquam ad certam significationem et distinctionem adhiberi coeptæ sint, proprium sit in consonam exire. Quo in genere imprimis ea suffixa *substantivorum* ponenda censeo, quæ habent ex iis consonis unam, quibus vocabula Latina terminari soleant, s, n, r, et amplificatione quadam ejusmodi thematis commune genus a neutro distinguant, quæ res et sero invecta esse videtur in sermonem latinum et inchoata magis est, quam perfecta.

---

[2]) Madvig, l. c. p. 34 suspicatur, primo ortu linguæ Latinæ non certam quantitatem, sed mutatam fuisse adhibitam, ut substantivum a verbo distingueretur ("Substantivet medförte ikke en bestemt Quantitet, men blot en anden"). Cujus varietatis exempla sunt rêx, lêx, vôx, pâx et rursus dux, sed dubitari potest, num huic rei tam vagae et instabili tantum per se ipsi tribui possit (Cfr. Ritschl, Rhein. Mus. VII. 610, Curtium, l. c. 22, 23), præsertim quum non solum eorum, quæ in *us* ês desinunt, communis sit, (ut vădum, innŭbus, sêdes, fȳdes ambâges, sed etiam in iis, quæ suffixis finguntur, interdum vel qualitas vocalis vel quantitas mutetur (coâgulum, têgula, rêgula, maledĭcus, dȳcax, præsâgus, săgax, glômus glŏmero, pondus, fors, fordus, formus, (si a fervendo ductum est, ut gluma a glubendo). Plura ejusmodi vid. apud Corss. l. c. 372—374. Prompsault, Grammaire raisonnée 738—739. Quod dicit Peter, Rhein. Mus. III. 122. in nominibus, quæ dicunt, agentis, producta vocali vim passivam significari, exemplis *præcocis, reducis, alienigenæ* et rursus *rêgis* satis refutatur.

Nam ut ordiamur ab iis, quæ in *r* vel *s*[3]) desinunt, in priscis vocabulis et iis, quæ ex verbis Latinis duci non possint, brevis figura *er, or, ur* omnis generis communis est[4]); in iis autem, quæ ex verbis ducere possumus, lex est, ut ea, quæ ipsam actionem aut qualitatem significent, productam vocalem ante *r* habeant et sint masculina, quæ vero rem actione effectam aut qualitate præditam, neutra sint et brevem vocalem habeaat. Ea ratio est *decori* ad *decôrem, fulguri* ad *fulgôrem*[5]) ac, si ea, quæ cognata non sunt, volumus comparare, *generi, fenori, facinori* ad *ardorem, calorem, vigorem.* Neque masculina in *tor* non puto suffixum habere amplificatione ortum ex eo, quod breve est in *pater, arater, iter* et cum vocali exitus in *rutrum, aratrum, claustrum*, et in derivatis *victrix, doctrina.*

Similiter in iis, quorum themata in *n* exeunt, ex producta figura nominativi ô neutrale genus constanter excluditur, quum brevem etiam nonnulla masculina habeant, ut *pecten, flamen.* Atque in ceteris casibus legem esse

---

[3]) In suffixis latinorum nominum fines consonarum *s* et *r*, vix certis terminis designari ac describi possunt. Nam quum cognatarum linquarum comparatio docere videatur in *tor*, et *rus* r principalem esse, tamen a Varrone affertur *loebesom* pro *liberum, janitos* (VII. 27.) pro *janitor*, nec *crepusculum* videtur sejungi posse a *crepero*, aut *opus* ab *opera.*

[4]) Ut *carcer, arbor, augur, guttur, uber, acer.* Ex his et masculina nonnulla in *er* ad themata in *i* refereuda esse apparet, (ut *imber venter*), et neutra collectiva *baccar piper* tam decurtata sunt, quam *atriplex* et *nihil.* In eadem causa est *vesper*, si tertiam declinationem sequitur: esse enim id nomen neutrius generis docet Varro IX. 73. De *ador* vide Prisc. I. 237.

[5]) Priscian. I, 170. docet antiquos *liquor* et *calor* pro neutris usurpasse.

videmus, ut, si præcedens syllaba i puram habeat, semper suffixum producta vocali efferatur, sin vero præcedat longa syllaba, quæ non sit radicalis, *îd*, *ûd*, *êd*, *ag*, *îg* *ûg*, breve sit suffixum *in;* in ceteris varietatem esse, et quidem interdum etiam in eodem nomine [6]).

Causam si quis requirit hujus varietatis, cur ejusdem fere suffixi brevis figura ad neutra fingenda, producta autem ad masculina et feminina adhibeatur, vix credo aliud responderi posse [7]), quam sermonem hoc discrimen aut reperisse aut inventum arripuisse, quo certas classes substantivorum ab iis figuris distingueret, quæ possent etiam adjectivorum communes esse. — Sed hunc locum indicasse tantum satis sit hoc tempore: jam ad feminina transeamus.

II. b.

Quod est apud Varronem, ex masculinis declinari feminina, id et constat inter omnes, qui de hac re subtilius disseruerunt [8]), et ipsa figurarum inter se ratio ostendit, non esse uno ordine habenda masculinum thema et femininum, sed ex illo ut indifferenti et, ut antiqui loque-

---

[6]) *Homo, homônis* satis notum est ex Ennio. De *turbo turbonis* et *turbinis* jam apud antiquos dubitatio erat. Quum enim illa figura de homine, hac autem omnino de re uterentur, Cæsar, ut tradit Charisius 117 (cfr. 48), etiam de tempestate *turbonem* dici voluit.

[7]) Qoud dicunt, quum *s* nominativi excidisset, hanc jacturam vocalis productione compensatam fuisse, hæc causa ad mâs, lâr, pês, pâr — quanquam hoc quidem etiam in neutro producitur, — pertinere potest, neque ab ordô ordinis fortasse aliena est (cfr. legô legis), sed vix intelligi potest, qui factum sit, ut hæc productio, si nominativi propria fuisset, ad universam declinationem transferretur.

[8]) Pott, l. c. 438. Etym. Forsch. II. 408. Madvig, om Kjönnet, 118. 135.

bantur, positivo aliquo modo flexas esse illas figuras, quæ sint propriæ sexus feminini. Cujus rei hoc maxime argumento est, quod eorum, quæ ipsarum rerum natura feminina sunt, pars non exigua masculinis similis est, ut *mater*, *soror*, *mulier*, *uxor*, *Juno*, *socrus*, id quod certe fieri non posset, si in his figuris masculini sexus nota inesset. Eodem illud pertinet, quod, ubicunque suffixo fit motio, primitivam figuram masculinus sexus habet, derivatam femininus. Sed nos neque de omni genere feminino scribimus, sed de eo tantum, quod figuræ discrimen habet, neque, si quæ suffixa femininorum propria sunt, ea res ad nostram quæstionem pertinet, quæ omnis in eo versetur, ut, quomodo ea feminini generis notatio, quæ sit in exitu thematis, exorta esse videatur, et quam late hæc res pateat in lingua Latina, si qua fieri possit, breviter conemur describere.

Satis igitur constat, grammatici, ut ajunt, generis, feminini unam esse in adjectivis et mobilibus substantivis propriam figuram in *-a*, quæ vocalis videtur certe non aliter, quam suffixum, ad commune quoddam thema ita applicari, ut abjiciatur vocalis, quæ hujus thematis propria sit [9]). Sed ipsum ortum rei hunc fuisse, ut *a* tanquam peculiari signo femininum genus notaretur, credere vix licebit. Nam si ita est, quid fuisse arbitramur, cur non ad omnia themata communia hoc suffixum femininum accederet, sed tantum ad illa, quæ exirent in *o*. Etenim quæ feminina in *a* tertii ordinis nominibus respondent, ea adeo et pauca sunt et partim in ipsa paucitate rara, ut satis appareat, hanc motionem ad eum ordinem non pertinere, sed, quum hæc figura in *a* et una esset femininorum propria et in omnibus necessaria esse videretur, contra legem fuisse translatam,

---

[9]) *Madvig* l. c. 134: den blev brugt som orddannende Afledningsendelse — p. 131. med Fortrængelse af den almindelige dunklere Udlyd.

ut ejus, quod femininum aut natura esset aut cogitaretur, etiam figura responderet cogitationi [10]). Nihil vero aut in sonis obstare potuit, quominus *a* etiam ad themata in i, u vel in consonam desinentia applicaretur, nec in vi ac significatione nominum quidquam fuit, cur non, ut ex *domino*, *bono*, sic ex *rege*, *dulci* in *a* commoveretur. Nam si velis statuere, aut omnem positionen in *is* ex *o* vel *io* ortam esse, aut tertium ordinem et quartum non habere motionem, quod nulla in his ordinibus adjectiva sint, omni disputationis fundamento et tanquam solo relicto nubes captes et inania. Atque hoc quidem in tertio ordine etiam conjiciendi ratione destituitur, neque quod in quarto nunc nulla sunt adjectiva, inde licet concludere, nulla unquam fuisse in lingua latina [1]). Sed intelligendum est, ratione fieri, ut in omni fere sermone adjectivorum figuræ simpliciores et tanquam magis uniformes sint, quam substantivorum, quod his *res* exprimantur, illa ad prædicationem adhibeantur; ex quo illud quoque fit, ut in his restare possit figuratio aliqua, quæ in universo sermone jam obsoleta et omissa sit, in his nihil, quod non sit quasi vivum et cujus usus in conjunctione verborum sentiatur.

---

[10]) Hæc fere exempla sunt *clienta*, *tibicina*, *antistita*, *hospita* (cfr. Prisc.), *Lara*, *Mana*, *conjuga*, et fortasse *Mania*, quanquam hoc quidem etiam derivatione oriri potuit, ut e *fratre*, *avo* *fratria*, *avia*. Terminationem femininam posterior ætas secuta est in *nura* *socra* (vid. Quicherat, Addenda Lex. Lat.), *matrix*, neque abhorrent *navia*, *fulica*, *compeda*, *cassida*. *Patrona* et *colona* forsitan a tertio ordine secum traduxerint *patronum* (It. padrone) et *colonum*, quæ sola masculina sunt in — *onus*: quanquam est apud Festum, antiquos etiam *decurionum* et *coepulonum* dixisse.

[1]) *Tenuis*, *suavis*, *gravis* ex adjectivis in *u*, addita vocali i, orta esse, multi conjecerunt. e. gr. Curtius, l. c. p. 14.

Sin vero ad substantiva fixa revocatur oratio, in his invenimus etiam alteram positionem, quæ sit feminini generis propria, in *ês*. Quorum nominum pars in omni declinatione ê servat, pars tantummodo in nominativo. Sed de illis jam apud antiquos Charisius tradit dissensionem fuisse, quum alii ea propter genitivum in *i* ad secundam declinationem, alii propter accusativum *-em* ad tertiam referrent, alii denique ab ceterorum omnium societate segregarent [2]). Ipse Charisius eam declinationem, quæ est in quinto ordine, omnium nominum in *ês* propriam et quasi naturalem existimare videtur. Nam p. 39: Omnia, inquit, nomina, quæ in *es* terminantur, genitivum faciunt in *i*, si tamen pura fuerit syllaba, ut acies aciei; si vero adjecta fuerit litera, confundit declinationem et facit in *is* genitivum. Quod quidem Charisius, vel potius is, quem hic secutus est, non sine accurata ipsius linguæ observatione statuisse videtur, sed quod videret, omnia fere, quæ olim quinti ordinis fuissent, vetustate et correptione vocalis ad tertium ordinem translata fuisse, præter ea, quæ *i* haberent ante *e*. Ex recentioribus quintam declinationem ex tertia fluxisse dicit Vossius [3]), cui assentiuntur Ruddimannus [4]) et Schneider [5]). Reisigius autem [6]) eum e primo et tertio ita conflatum putat, ut majorem partem ex primo Græcorum in *η* sumeret, ex tertio autem Latinorum accusativum singularis numeri et nominativum pluralis. At primum si qua cognatio huic ordini est cum primo Græcorum, miramur, cur *s* sit in nominativo et tamen totus fere feminini generis sit, deinde omnino hæc ratio fortasse regulam declinandi præ-

---

[2]) Charis. p. 31.

[3]) de anal. II. c. XIX.

[4]) l. c. I. 105.

[5]) l. c. II. 352.

[6]) l. c. 103 sqq.

bere potest, ortus autem ipsius formulæ hac tanquam compendiaria via non invenitur, si quidem hic ex ipso themate exquirendus est. Sed is, qui primus fere hanc viam ingressus est, Struvius, quum quattuor poneret ordines genere ipso similes ac pares, sed vocalium diversitate distinctas, in a, i, u, e, neque cui parti Græcæ declinationis hunc quintum Latinorum ordinem respondere vellet [7]), constituit neque quæsivit, cur hæc ê longa esset, neque in tertii ordinis nominativo e aliter, quam i, inseri voluit [8]). Quanquam jure sane Boppius *canes*, si vocalis prorsus extrinsecus addita sit, brevi dicit contentam esse debuisse [9]). Ipse vero Boppius [10]), quintum ordinem totum ad primum trahit, ita ut statuat, *a* propter antecedentem *i* in *e* mutatam fuisse [3]). Neque negaverim hoc modo simpliciter omnem tolli difficultatem, nisi quod non ubique simplicissima quæque maxime vera sunt. Primum enim *i* hanc vim habuisse, ut sequentem *a* in *e* mutaret, Latinæ linguæ exemplis non satis confirmatur. Nam quod dicunt conjunctivos et futura *iet* (siet), *at* (legat) *et* (leget) ab *ia* omnia profecta esse, incerta incertis confirmari parum consentaneum est. Ceterum *a* etiam nulla præcedente *i* interdum in *e* mutari videmus (ut *anhelo)* et hac conjunctione *ia* nihil in lingua Latina frequentius est. Quod si in conjunctivo siet (skr. syât) *a* in *e* mutata est, quod huic vocali magis, quam illi, cognata erat

---

[7]) etsi Latinorum ut universum sermonem, sic declinationem e Græca fluxisse dixit p. 2.

[8]) l. c. p. 16.

[6]) l. c. p. I. p. 283.

[10]) Hunc sequuntur Weissenborn, l. c. p. 96. Meyer, Vergleich., Gramm. d. Griech. u. Lat. p. 134. Corssen, l. c. 304. Pott, Et. Forsch. II. 438, qui sane *es* in tertio Latinorum cum î Sanscr. comparat, sed ita, ut utrumque ex *ia* ortum stat aut.

i, de Græco εἴ, idem dici oportet. At in nominibus Attica certe dialectus plane aliam viam secuta est, quæ post i constanter servaret *a*. Adeo verum est, si quis ex sonis ipsis formationem linguæ intelligere sibi videatur, nonnunquam eadem probabilitate posse in contrarias partes disputari. Quod autem multa nomina et in *es* et in *a* terminantur, inde non licet colligere, illam figuram ex hac commutatam fuisse, non magis, quam quod dicatur bura et buris, et domus colus inter *o* et *u* incerta sint, statuere possis i, u ex *a*, *o* ortas esse. Ac si propter suavitatem soni i*a* in *ie* mutabatur, quis non suspicaretur, hanc rem, quo magis excoleretur Latinus sermo, eo serpsisse longius? quod fere contra est, nam hæc figura in ês apud vetustiores magis frequentatur. Deinde qui quintum ordinem ad primum referunt, dicere debent, cur factum sit, ut in illius nominativo s adhiberetur, quum nusquam esset in primo. Ac Boppius quidem hanc dubitationem ita expedit, ut dicat, *s* propter similitudinem nominum in *ês* gen. *is* assumptam fuisse [1]). Hunc autem ipsum nominativum a ceterorum casuum themate sejungit, *s*tatuens, hanc *s* non casum, sed, ut in *genus opus*, ipsius thematis exitum esse; ês enim figuram masculinam et femininam esse, quæ respondeat neutrali us [2]). At hoc argumentum, quis est, quin videat, e Græca lingua magis peti, quam ex Latina, in qua neutrali suffixo *us* respondeat commune ôr-? Ac Boppius quidem ipse fatetur hanc rei expediendæ viam non patere in omnibus tertii ordinis nominibus, sed cetera, quæ *es*, non *is* habeant, similitudinem aut illorum aut quinti ordinis secuta esse [3]), ita ut

---

[1]) l. c. p. 281.

[2]) l. c. p. 282.

[3]) p. 283. — *Cerês* — quo exemplo utitur Boppius — simillimum est *pulveri* (pulvîs), si modo memineris, *e* et *i* sæpe inter se permutari. — Ceterum hæc conjectura Boppii

-pace summi viri dixerim — res tanquam in orbem circumagi videatur. Quod quum ita sit, non sit temerarii aliam rationem insistere.

Illuc igitur redeamus, quod diximus præter *spem*, *rem*, *fidem* omnia quinti ordinis nomina ante *e* vocalem i habere, sed in prisco sermone hujus ordinis fines latius patuisse. Nam et *plebs* olim *plebes* dicta est, et molem,

---

a more linguæ Latinæ non plane abborret, quod non raro ejusdem verbi duplex thema invenitur, unum radicale. alterum liquida aut linguali *s*, *d* auctum, ita ut nec significationis ulla diversitas sit, nec sit locus suspicioni, illud ex hoc esse deminutum. Exempla sunt pecu (pecua) pecus (pecuda, pecora, pecudes), assis, asser, penus, Gen. us et oris, tergum et tergus, jugum et jugerum, furca fuscina, galbus, galbinus eodemque fortasse pertinent genit. regerum, boverum et suere (Varro V. 110), speres (Enn.), vires. Jam vero, quod e *mole* fit *molestus*, forsitan cuipiam videatur verisimile hujus nominis olim fuisse thema *s* consona terminatum atque ejus vestigia cerni in nom. *molês*. Sed tamen, etiamsi non injuria mediæ quædam figuræ conjectura statuuntur, quæ olim inter eas primitivas, quæ nunc versentur in sermone, et derivatas intercesserint (ut propter *avunculum* avo, onis, propter *novellum*, *novercam*, nover), tamen hi tanquam formandi gradus non in singulis vocabulis, sed in suffixis ipsis ponendi sunt. Nam si — id quod dubitari nequit — productius suffixum compositione simplicium quorundam in vocabulo aliquo exortum est, tamen, postquam in certa classe nominum adbiberi coeptum est, — ut — urnus in temporalibus tantum — primitivis thematis pro simplici adjungebatur. Quocirca non mihi videtur propter *diurnum hodiernum* thema nominis *diei* consona clausum poni licere, ne propter *nocturnum*, *somnurnum* idem de nocte et somno statuere cogamur. Quis enim dubitet, quin aliquando nomina non suam analogiam in formando secuta sint, sed *συνεκδρομῇ* quadam alienam, ut viduertas (paupertas), *rarenter* (frequenter), *pientissimus* (indulgentissimus: utrumque in cippis sepulchrorum pervulgatum est)?

tabem, famem in eadem causa fuisse, docent ablativi molê, tabê, famê ("quod adhuc ita profertur" Prisc.), et quod dicit Festus "Faces antiqui ut fides" sine dubio ita est intelligendum, ut illud quoque quinti fuerit ordinis. Ac jam supra vidimus, quam multa nomina, quum olim in *es* terminarentur, postea ê aut in *i* mutaverint, aut plane amiserint, quæ corruptela in postrema Latinitate etiam ad nomina in *-ies* pertinuit, ut pro *facies* fax diceretur [4]). Hæc quum ita sint, quis non malit *originem* hujus thematis in *ê* ab illo in *a* sejunctam cum tertii ordinis nominibus in *ês is* ita conjungere, ut conjiciat, olim longam *ê* utraque nomina per omnem declinationem habuisse, mox autem in obliquis casibus ea sola tenuisse, quæ aut essent monosyllaba aut ante *e* vocalem *i* haberent, ne injucundus esset concursus vocalium et quantitate parium et qualitate non multum discrepantium iēis. In his si quid veri est, intelligitur, quid fuerit, quod *speciêi* (specii) quidem semper diceretur, at *nubeis* non aliter, quam *leviis*, mutaretur in nubis.

Neque dubitamus statuere, his thematis in ê ad tertii ordinis themata in i eam rationem esse, ut producta vocali genus femininum significetur [5]). Quod si

---

[4]) Probus, Gramm. Lat. IV. 1. 135.

[5]) Pott, Gramm. Geschl. 400. Diese Lautanschwellung ist ein instinktiv zu dem Zwecke ausersehenes Charakteristikum der Weiblichkeit. Wie die Länge nicht der ursprüngliche Laut ist, eben als Doppelung des kurzen, *bezeichnet* sie desgleichen schon aus diesem Grunde ein secundaires, ein vom primitiven (für unsern Fall vom masculinum als dem vornehmlichen Geschlechte) abweichendes. — Ne Madvigius quidem negat, aliquando femininum genus productione notari potuisse (in skr. î): l. c. p. 131. Boppius (Skrtgramm.) tradit p. 88, 90, 114, 115, 156 in substantivis â î û feminini generis propria esse, in neutris nunquam inveniri, in masculinis

et in *a* et in *ês* hæc feminini generis notatio inerat, ratione fiebat, ut hæ figuræ tam sæpe inter se permutarentur, quanquam *ê* non ex commutatione vocalis *a*, sed ex productione vocalis e exorta esset. Ac si quis miretur, cur brevia themata *i* habeant, longa autem *e*, equidem puto olim et *e*, *ê* et *i*, *î* usurpatas fuisse, sed cur nunc themata et quantitate vocalium et qualitate differant, causam in his nominibus positam esse, quæ ante ês i habeant, quæ quidem, etiamsi exitus proprie *i* fuisset, tamen vix possent facere, quin eum in *ê* mutarent. Etenim propter antecedentem *i* vocalem î in ê mutatam fuisse, tam certum est [6]), quam dubium, num in ipsa Latina lingua *a* unquam propter antecedentem *i* in *e* abierit. Ex his credo, quum ipsa motio sentiri desisset, eum morem ad cetera propagatum fuisse, ut ea, in quibus producta quantitas ad notionem informandam pertineret, ea etiam qualitate vocalis a ceteris distinguerentur.

Nam olim etiam themata in î inventa fuisse pauca quædam nec admodum certa vestigia indicare existimaverim. Quæ priusquam commonstrare coner, consideremus, qua in classe nominum versentur ea, quæ nunc productam ê habeant. Omnia igitur fere aut abstracta sunt [7])

---

rarissime, nisi ubi ipsius radices partes sint: in adjectivis motionem ex a, u in â û inveniri, themata autem in i nunquam genera distinguere, sed esse rarissima in simplicibus: composita non solum in i, sed etiam in a generum discriminibus carere. Cfr. *Grimmium*, Hist. u. phil. Abhandl. d. Akad. d. Wissensch. zu Berlin 1858 p. 39.

[6]) conferas enim *laniena*, *alienus* cum *officina*, *ruina*, *libertinus*.

[7]) Hac observatione tollitur illa difficultas, quæ est in plurali numero. Nam ut *nubeis nubei* facile in *nubis* et *nubî* converti potuerunt, sic gen. et dat. plur., si quando quintam declinationem secuta sunt, difficile est credere, in *nubibus* et

aut certe *res,* non animantes significant, quum concreta et vera feminina primam declinationem obtineant. Quod quum ita esset, ut neque his femininis masculina respondere possent neque fortasse amplius sentiretur causa, cur in hanc figuram pervenissent, natura fiebat, ut hæc formandi ratio magis magisque languesceret et singula nomina in alios ordines i. e. aut in primum aut in tertium transferrentur. Et tamen sunt pauca quædam vocabula, in quibus vera et naturalis motio hac producta figura significari videatur. Qua in causa primum est *canês,* quæ forma pro eo, quo dvulgo dicitur *canis,* apud vetustissimos aliquando invenitur et semper feminini generis est. Deinde *feles, vulpes* non minus, quam *aquila,* ipsis figuris feminina putanda sunt. Atque eodem fortasse pertinet *Palês* [8]), Deæ nomen; nam quod dicit Servius, antiquos *hic Pales* dixisse, masculinum quoque longam ê habuisse non traditur.

Jam vero de vestigiis productæ i, deminutivum *canis* semper femininum est et ê productam habet, *canîcula,* ut ad primitivum nomen in î referendum esse videatur. In eadem ratione est *cratîcula* et omnino, ut deminutiva in *-ecula* (vulpecula, nubecula, plebecula) haud dubie argumento sunt, primitivorum themata in ê exire, sic quod ex nonnullis femininis in is finguntur deminutiva in îcula [9]), non absurda suspicio est, hanc î olim longam fuisse. Nam quod dicit Priscianus [10]), in *cuticula* i propter metri ne-

---

nubium commutari potuisse. At credibile est, hujusmodi nomina, ut abstracta, pluralem non habuisse, priusquam ex sua et propria significatione in alienam et concretam transferrentur. Quod quum fieri incipiebat, jam singularis illorum, quæ in *i* desinebant, adeo similis erat, ut plur. vix posset facere, quin *civium,* non *rerum* exemplum imitaretur.

[8]) Virg. Georg. III. 1.

[9]) *clavicula, cuticula, febriculosus, siticulosus, viticula.*

[10]) I. 107.

cessitatem productam fuisse, id similitudine *somnîculosi*, *tegetîculæ*, *pedîculosi* valde confirmari videtur, sed tamen, ut sæpe, sic in hoc genere fieri potuit, ut quod in nonnullis observaretur non sine ratione, id licentia quadam poetarum ultra fines suos transferretur [1]).

At, dixerit quispiam, si et illa in ês positione feminina sunt et producti thematis in *î* vestigia deprehendere nobis videmur, qui fit, ut nihil ejusmodi reperiatur in adjectivis? Quod quidem nemini mirum videbitur, si hoc ipsum consideraverit, hanc motionem ex *i*, *e* in î, ê non vigere amplius in sermone latino, sed tantum rei paene intermortuæ et ab usu jam omissæ vestigia cerni, in quibus producta vocalis nunc non ad veram sexus diversitatem significandam pertineat. Quam ob causam in adjectivis, ubi motio semper ad communis nominis discrimina significanda adhibeatur et maxime suscipiatur propter convenientiam attributi cum proprio rei nomine, locum res non potuit habere amplius, postquam in substantivis tanquam viva esse desiit. Præterea in Græco sermone, quum substantiva feminina in *ος*, quæ quidem animantes significent, pauca sint, in attributis hujus figuræ videmus motionem crebro negligi, præsertim si aut composita sint aut insigni suffixo tanquam onerata, et a fine vocabuli accentus removeatur. Atque etiam omnia adjecticia nomina in genitivo pluralis genera non distinguunt. — Quod si his locis fieri potuit, ubi in promptu esset figura feminina, idem fere in Latinis nominibus factum esse non sine ratione conjicias, sive olim ea motio,

---

[1]) Forsitan et accusativus in — *im* — proprie ad thema in productam *i* pertinuerit, quoniam et longæ vocales suam quæque qualitatem constantius servent (cfr. *ix*, *îcis*, *ex*, *ικις*) et ea terminatio femininorum substantivorum partem non exiguam obtinet.

etiam ad adjectiva pertinuit, sive tota res in his thematis in *e, i* magis "inchoata fuit, quam perfecta".

Sed si themata in *i e,* suam et propriam motionem aut olim constanter habuerunt, aut ex inchoata ratione potuerunt habere, illud nobis videmur intelligere, quid sit, cur in tertium ordinem illa motio in *a* non admittatur. Ac si ita fuit, etiam verisimilius est, ne hanc quidem figuram femininam peculiaris cujusdam suffixi adjectione natam, sed vocalis affectione ex communi themate provenisse. Cui sententiæ res ipsa maxime videtur illa quidem repugnare. Qua enim via ex *o* vocalem *a* oriri potuisse censemus? At primum videmus, ut in Græco sermone etiam nominativus *a,* ubicunque masculino *o* respondeat, producatur, sic in prisco sermone Latino non solum in genitivo et dativo sing., sed etiam in nominativo *a* productam fuisse [2]). Si igitur olim femininum thema et qualitate vocalis et quantitate a masculino differebat, utrum in hac re, an in illa, an in utraque illud inesse statuimus, quo generis diversitas significetur? Ad hanc quæstionem quid respondeatur, in Latina lingua inveniri non potest. Sin vero cognatas linguas adhibemus, in his uidemus, masculinum thema aliis vocalibus alias terminari, feminini autem eandem *a* propriam esse. Qua ex re probabile fit, hanc motionem ex masculino quodam themate in femininum a non in lingua latina aut Græca ortam esse, sed in ea, quæ communis omnium cognatarum mater fuerit. Jam vero quum in lingua Sanscrita, quæ sine controversia vocales omnium una maxime incorruptas habet, femininæ *â* respondeat masculina ă, credo vix posse dubitari, quin is ortus fuerit ejus, quæ nunc cernatur, thematum diversitatis, ut masculina a in â produceretur, mox autem, quemadmodum omnino productæ vocales in sua quæque qualitate constantius permanerent, sic hoc

[2]) Corssen l. c. I. 330.

loco feminina â servaretur, masculina autem ă in *o*, (*u*) converteretur. Neque hanc mutationem hoc uno loco inveniri, sed communem fere legem esse, ut vocalis Sanscritæ linguæ *a* in trium vocalium a, e, o, discrimina quasi divisa et distracta apud Græcos et Latinos inveniatur, [3]) docent illi, qui in comparandis linguis versantur, nec quenquam fugere poterit, quamvis eam artem leviter attigerit.

At vero, quum etiam masculina in *es* et *a* inveniantur, nonne hac re refelluntur omnia, quæ hactenus attulimus? Certe ea difficultas præteriri non potest, si quis hanc partem sermonis ad rationem revocare conatur. Sed masculina in ês aut peregrina aut incerta sunt: alterius classis in *a* non mediocris copia est et quæ semper valde torserit grammaticos, quum alii aliunde peterent, quo tolleretur ea, quæ videretur esse, linguæ a se ipsius discrepantia [4]). Qua de re ut nos quoque pauca dicere audeamus, primum propria nomina a reliquis sejungamus. Atque ex illis quidem cognomina etiam ad hanc quæstionem plane non pertinere nobis videntur, si quidem, quæcunque eligendi causa fuit, [5]) sæpe omnis generis substan-

---

[3]) Græfius, ut hunc nominem, qui unus omnium cautissime lumen a sanscrita lingua commodatum ad formas Græcas et Latinas illustrandas admovit — hic igitur (p. 251) negat dubitari posse, quin mater harum linguarum has tantum breves vocales habuerit, a, i, u. "Der Beweis dieser alten Herrschaft des *a* im Griechischen ist leicht aus fast allen Redetheilen der Sprache selbst zu führen."

[4]) Jam Varroni hoc non levissimum contra analogiam afferri videbatur. Vid. X. 27 et supra. Cfr. Pott, Etym. Forsch. II. 435 sqq., Bopp, l. c. 371., Grimm, von Vertretung männlicher durch weibliche Namensformen l. c.

[5]) Cfr. *Mommsen* Die Römischen Eigennamen (Rhein. Mus. XV. 1. p. 198).

tiva i. e. *rerum* nomina in hunc usum conversa sunt, nec feminina figura in *Musca, Bestia, Dolabella, Sulla* magis genus hominis significat, quam neutralis in *Spinther, Corculum,* aut masculina in *Mus, Taurus, Corvus, Vitulus.* [6]) In prænominibus virorum, *Numa, Atta,* major est obscuritas, quam ut de iis quidquam judicari possit.

Sed ut relictis propriis nominibus ad appellativa veniamus, de his quattuor omnino sententias ferri video. Alii enim conjiciunt, hæc themata masculinorum, quæ habeant longam vocalem *a,* quum proprie liquida consona terminarentur, primum in nominativo, deinde etiam in ceteris casibus consonam amisisse, ex quo fieri non posset, quin ad declinationem femininorum in *a* transferrentur. Quod quum jamdudum Boppius in Græcis nominibus sibi placere dixisset, τής ex τήρ commutatum esse [7]), et Curtius [8]), id argumentis confirmare conatus esset, Meyer idem fere de Latinis masculinis in *a* conjecit, *â* ex *ân* exortum esse [9]). Sed nescio an hoc modo nodus non solvatur, sed præcidatur, quod nulla sint Latina masculiua in *ân* [10]). Altera sententia est Grimmii, statuentis, græca nomina in ής et latina in *a* vere feminina esse; neque linguam in hac re naturam secutam esse, sed ut quæque res aut

---

[6]) Apud Varr v. v. II. de aviariis colloquuntur Merula, Parra, Picus, Passer, Pavo. — Præterea quantus numerus fuerit cognominum Latinorum in *a,* vel ex uno Ciceronis loco de Oratt. II. 60—68 intelligi potest. Quo in genere hoc fortasse secuti sunt Romani, ut figura cognominis nomini (in-*ius*) dissimilis esset.

[7]) Vgl. Gramm. 371 anm.

[8]) l. c. p. 31.

[9]) Vergl. Gramm. p. 232. 238.

[10]) Sed huic Scr. suffixo respondet Lat. *ôn.* Ceterum revera *nonnunquam* ex *-anus, atis* orta esse nomina in *a,* vel *as,* ostendunt Menas, tis, Mena, Campanus Campas, Lucanus Lucas.

persona virtute aliqua aut vitio alterutrius sexus prædita esse videretur, ita ad hanc aut illam classem nomen relatum fuisse. Cur igitur non solum propria cognomina, sed etiam multa appellativa et quæ agentium nomina sint, femininam figuram habeant, non posse aliam causam reperiri, quam quod certa munera certæve actiones hujus generis maxime propria viderentur, et quidem alia propter dignitatem quandam, alia, quod sedulitatem et oboedientiam, virtutes feminarum proprias, maxime requirerent, propter alias causas alia. Quam quidem rationem non maximo periculo ad nonnulla tranferre audeas. Licet suspicari, *senecam* propter infirmitatem, *rabulam* propter garrulitatem, *vernam* propter sedulitatem, *lixam, caculam, popam* propter muliebria ministeria, aut quod parum in sua potestate essent, principio femininis nominibus appeltatos fuisse, deinde quum origo et causa rei in oblivionem venisset, nomina in figuris femininis masculina esse coepisse. Sed vereor, ut hæc ratio in omnibus probari possit. Atque ut omittamus ea, quorum propria vis et origo prorsus incerta sit [1]), summa dubitatio exoritur in iis, quæ ex verbis latinis nomina agentium sunt [2]) Haec quum

---

[1]) *sculna, scurra, pincerna, pubeda, vatia.*

[2]) Ut *scriba, advena, convena, accola, incola, agricola coelicola, indigena, alienigena, Trojugena, Grajugena, perfuga, transfuga, conviva, collega, auriga* (vid. Fest.), *bubsequa.* Cfr. Charis. p. 53, 19: "communia duorum generum in *a* plura, quam triginta duo sunt". *Succubae* animadvertendum censeo perperam in lexicis proprie femininum genus et obscoenam significationem tribui. ("Beischläferinn, Cinædus" Klotz.) Neque enim aliud significat, quam eum (eam), qui (quæ) alienam possessionem occupat, quæ vis præpositionis *sub* eadem est in *supponendo, suppositicio, sublegendo.* Neque apud Prudentium -nam ejus loco (περὶ στεφάνων 10, 192 maxime utuntur, — *florulentus succuba* Hyacinthus puer dicitur, sed

utriusque sexus fere communia sint, Boppius [3]) statuit, femininam formam pro communi usurpari coeptam esse, quod posterior pars nominis gravi augmento quasi onerata mobilitatem amisisset. Quam rationem Græcorum adjectivis compositis confirmari dicit, quæ sexum non soleant distinguere. Ex his compositis, qualia sint *parricida legirupa*, etiam ad nonnulla simplicia rem translatam fuisse, ut ad *scribam*. At si vere feminina figura e masculina quodam modo declinata est, non multum sane est probabile, hanc figuram in compositis pro communi usurpatam fuisse, præsertim quum dicat ipse Boppius, in compositis themata maxime infringi et ad simpliciores formas redigi solere. Quod quum ita sit, censeo redeundum esse ad quartam illam sententiam, quæ, quum a Boppio ipso inventa sit, nunc ab auctore relicta defenditur ab aliis, statuentibus [4]), in his masculinis principalem *a*, quæ in majori parte nominum in *o* conversa sit, incorruptam cerni, nisi quod, quum cetera masculina alio commigraverint, femininorum similitudinem in declinando sequantur. Ac forsitan in his nominibus ob hanc ipsam causam genera masculinum et femininum quantitate tantum distincta manserint, deinde etiam confusa sint, quod, ut proprium est illorum nominum, quæ vocant agentium, ita adjectiva erant, ut neutrum genus excluderent, quam quidem vim magna pars etiam in literis Latinis servat [5]). Quæ ratio si vera est, etiam ad nonnulla eorum, quæ incertæ originis sunt, transferri poterit.

---

flos hyacinthi, qui illi dicatus sit et ejus nomen occuparit. Cfr. Ovidii metam. 10, 162 sqq.

[3]) l. c. 371.

[4]) Curtius l. c. p. 28. Corssen, Jahrb. f. Philol. u. pæd. Bd. 68 p. 473.

[5]) Cfr. Forcellinium in nom. *convena*, *advena*, *indigena*, *Grajugena*.

Sed hic scribendi finem facere necesse est, postquam magnam et gravem quæstionem percucurri potius, quam persecutus sum. Atque de his ipsis, quæ disputavi, quanquam in causa longe impari, verbis uterer summi cujusdam viri, "esse quoddam genus scriptionis, in quo difficile esset non errare", nisi timerem, ne non solum inertiæ veniam non impetrarem, sed etiam in crimen temeritatis ultro incurrerem.

NOV. 23, 1864.

Corrigenda:

Pag. 1 v. 4 propriora l. propiora.
" 2 " 8 contro versiam l. controversiam.
" 2 ann. [5]) v. 1 ἢ l. Τῇ.
" 5 v. 5 accommodaret l. accommodarit.
" " " 21 rusus l. rursus.
" " ann. [3]) v. 2 ἑκαστὸν l. ἕκαστόν.
" " " " 4 *τινὶ* l. *τίνι*.
" " " [4]) " 3 *ὁμοιότητά τινα* l. *ὁ. τ. ἔχοντα*.
" 8 " [9]) " 4 *ἔστι* l. *ἐστὶ*.
" 11 v. 17 illius ordinis priores libri, hujus l. hujus —, illius.
" 12 ann. [6]) v. 3. 4 ins-citæ l. in-scitæ.
" 15 v. 19 quorundam l. quarundam.
" 16 ann. [2]) v. 7 *αὐτὸ* l. *αὐτό*.
" 18 ann. [9]) v. 2 dissimiles l. dissimilis.
" 21 v. 7 *vocabulorum* deleatur.
" 23 " 11 quem l. quam.
" 27 " 5 *ἁπλουν καὶ δίπλουν* l. *ἁπλοῦν καὶ διπλοῦν*.
" 30 ann. [1]) v. 18 homumculus l. homunculus.
" 38 v. 13 [5]) l. [4]).
" " " 14 [6]) l. [5]).
" " " 21 [8]) l. [6]).
" 41 " 18 V. l. VI.
" 51 " 4 variaretur l. variarentur.
" 56 " 4 recto ab l. recto aut ab.
" " ann. [1]) in corrupta l. incorrupta.
" 57 " 5 J. l. I.
" 58 " [6]) v. 10 malus dolo l. malus = dolo.
" 62 " [10]) v. 4 quum l. quem.
" 73 " [6]) Secundam l. Secundum.
" 88 v. 24 *κρέας* l. *κέρας*
" 96 ann. [5]) l. Illa sententia Hartungii est, hæc Boppii, Schleicheri cett.

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: July 2006

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 062 218 2